



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**


Liber CXLVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)



HISTORIÆ  
 ECCLESIASTICÆ  
 LIBER CXLVII.



JULIUS III. PONT. MAXIMUS,  
 CAROLUS V. OCC. IMP.

§. I.

*Prima Synodi Congregatio post Sessionem duodecimam habita.*

**A**ltera, post sessionem duodecimam die, seu secunda Septembris generalis habebatur conventus, in quo Crescentius Legatus præprimis  
*Hist. Eccles. Tom. XII.*      A con-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.

*Pallav. hist.  
 Conc. Trid.  
 l. 12. c. 1. n. 1.  
 & seq.*

Sæcul XVI controversam circa Eucharistiam quæ-  
 A.C. 1551. stionem omnino dirimi voluit, eo quod  
 ad illa doctrinæ capita, quæ prius Tri-  
 denti, ac Bononiæ fuerunt agitata,  
 sequeretur. Ergo decem proponuntur  
 Raynald ad  
 ann. hunc n.  
 39. & 40. articuli ibidem discutiendi, atque in  
 alia Congregatione die octavo ejusdem  
 Mensis habita Theologi suas quisque  
 proferunt sententias: Præ ceteris vero  
 primi dixere Jacobus Lainius, seu Lai-  
 nez, & Alphonsus Salmeron Pontificii  
 in Concilio Theologi. Deinde sua pro-  
 mebant judicia Joannes Arza Cæsareus  
 Theologiæ Doctor, & suo demum ordine  
 reliqui.

## §. II.

*Articuli controversi in Congregationi-  
bus propositi.*

Pallav. n. 2.  
 Psalmæus in  
 ait. Conc.  
 Trid. p. 228. **E**xtrahebantur hi articuli ex Zwinglii,  
 Lutheri, aliorumque Sectatorum  
 doctrina, atque hæc in dicendis senten-  
 tiis ratio Theologis præscribatur. I.  
 „ Illæ ex Sacris litteris, ex Apostolicis  
 „ traditionibus, ex Conciliis approba-  
 „ tis, ex Constitutionibus, ex auctori-  
 „ tate summorum Pontificum, e SS.  
 „ Patribus, ex communi Ecclesiæ Ca-  
 „ tholicæ consensu colligantur II. brevi-  
 „ tatem servant, & a quæstionibus su-  
 „ pervacaneis, & inutilibus, atque a  
 „ protervis contentionibus abstineant.  
 „ III.

„ III. primus dicendi locus detur Theo- Sæcul XVI.  
 „ logis a Romano Pontifice, secundus A.C. 1551.  
 „ a Cæsare missis; post eos clericis non  
 „ Regularibus, pro acceptæ laureæ an-  
 „ tiquitate, & postremo Regularibus,  
 „ prout cujusque Ordini debetur.

Porro examini erant expositi sequen-  
 tes decem articuli. I. *In Eucharistia non  
 est revera corpus, & Sanguis, neque Divi-  
 nitas Domini Nostri Jesu Christi, sed tan-  
 tum ut in signo.*

II. *Exhibetur in Eucharistia Christus;  
 sed spiritualiter tantum manducandus per  
 fidem, non autem Sacramentaliter.*

III. *In Eucharistia est quidem Corpus,  
 & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sed si-  
 mul cum substantia panis, & vini, ita,  
 ut non sit transsubstantiatio, sed unio hy-  
 postatica humanitatis, & substantiæ panis,  
 & vini: ita ut verum sit dicere: Hic panis  
 est corpus meum, & hoc vinum est Sanguis  
 meus.*

IV. *Eucharistia instituta est ob solam re-  
 missionem peccatorum.*

V. *Christus in Eucharistia non est ado-  
 randus, neque festis venerandus, neque in  
 processibus circumgestandus, neque ad in-  
 firmos deferendus, & ejus adoratores sunt  
 veri idololatræ.*

VI. *Non est reservanda Eucharistia in  
 Sacratio, sed statim consumenda, & præ-  
 sentibus danda, & aliter facientes abutun-  
 tur*

Sæcul. XVI. *tur hoc Sacramento. Neque licet, ut quis*  
A.C 1551. *se ipsum communicet.*

VII. *In hostiis, seu particulis consecra-  
tis, post Communionem remanentibus, non  
remanet corpus Domini, sed tantum ibi est,  
dum sumitur, non autem ante, vel post  
sumptionem.*

VIII. *De Jure divino est, sub utraque  
Specie etiam populum, & parvulos commu-  
nicare: & propterea peccant ii, qui cogunt  
populum altera Specie uti.*

IX. *Non continetur sub altera Specie,  
quantum continetur sub utraque; neque tan-  
tum sumit communicans sub altera Specie,  
quantum sub utraque.*

X. *Sola fides est sufficiens præparatio ad  
sumendam Eucharistiam: neque ad id confes-  
sio est necessaria, sed libera, præsertim doctis.  
Neque tenentur homines ad communionem in  
Paschate.*

### §. III.

*Theologorum disceptatio in examinan-  
dis hisce decem articulis.*

*Pallav. l. 12.  
s. 2. n. 1.  
& seq.*

**H**i decem articuli in conventu, qui die  
octava Septembris habebatur, mag-  
no fervore agitabantur: præprimis hæc  
doctrinæ capita in duas dividebantur  
classes, quarum prima articulos omni-  
no, ac communi suffragio damnandos,  
altera vero damnandos licet, aliquantu-  
lum

lum tamen declarandos complecteretur. Sæcul. XVI. A.C. 1551.  
 Ad primam classem rejiciebantur articu-  
 li primus, tertius, quintus, sextus ex-  
 cepta parte mox alleganda, septimus, &  
 octavus. Secundus vero, in quo dice-  
 batur, *exhiberi in Eucharistia Christum,*  
*sed spiritualiter tantum manducandum per*  
*fidem, non autem Sacramentaliter, videba-*  
*tur fere omnibus tanquam superfluus omit-*  
*tendus, tum quia continetur in primo ar-*  
*ticulo, tum quia Sacramentalis Sumptio*  
*a nemine hæreticorum negatur.*

Non deerant tamen, qui hunc arti-  
 culum omnino hæreticum esse declaran-  
 tes contendebant, illum sub his ver-  
 bis esse damnandum: *Christus non exhi-*  
*betur Sacramentaliter, nisi simul exhibeatur*  
*spiritualiter.* Verum hanc doctrinam  
 Auctor ab Oecolampadio fuisse invec-  
 tamentam ajebant. Porro Theologorum opinio  
 varia erat circa quartum articulum, in  
 quo legitur: *Eucharistia est instituta*  
*ob solam remissionem peccatorum:* Quidam  
 enim hanc doctrinam esse Catholicam  
 censebant, dummodo illa vox: *solam*  
 omittatur, quam nec ab ipsis etiam hære-  
 ticis additam inquiebant. Ex adverso  
 alii affirmabant, hunc articulum esse  
 proscribendum, sive demum vox illa:  
*sola* omittetur, sive relinquetur, eoquod

Sæcul. XVI. Eucharistia non sit instituta ad peccato-  
A C. 1551. rum remissionem. (\*)

Sextus Articulus omnino condem-  
 nabatur, circa illam vero partem, in  
 qua dicitur, *non licere, ut quis se ipsum  
 communicet*, quædam exorta est difficul-  
 tas; quibusdam enim placuit, id tan-  
 tum prohiberi Laicis, ac proin sub his  
 duntaxat verbis esse damnandum: *etiam  
 Sacerdoti celebranti non licet seipsum com-  
 municare*: Alii existimabant, hanc pro-  
 positionem in nullo sensu esse hæreticam,  
 eoquod sextum Carthaginense Conci-  
 lium in Canone centesimo primo hanc  
 doctrinam adeo non damnasset, ut etiam  
 ex adverso præcepisset, ut omnes, qui  
 ad Sacram Synaxin accedunt, in manus  
 suas Eucharistiam sumant, eamque in  
 formam Crucis teneant, non vero in  
*aureis, vel argenteis* vasibus asservent.

Nonnulli contendebant, quod id ne-  
 quidem in necessitatis casu Laicis licitum  
 esset.

(\*) Haud prætereundum, quod hæc caus-  
 falis in Pallavicino non legatur, nec etiam præ-  
 sumi potest, a Catholicis Theologis ignorata  
 fuisse illa Christi Domini Eucharistiam instituen-  
 tis verba Matth. 26. v. 18. *Hic est Sanguis, qui  
 pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*  
 Hanc vero rationem Continuator ex suo Paulo  
 Sarpio mutuavit.

esset. Denique septimus, atque octavus articulus absque omni controversia rejiciebatur, cum autem in nono articulo diceretur, *non contineri sub altera specie tantum, quantum continetur sub utraque, proin communicantem sub una specie minus recipere*, primam hujus articuli partem omnes damnandam censebant, si intelligatur quoad Sacramentum: secunda vero pars ab aliquibus non censebatur hæretica, si intelligatur de gratia, cujus plus agebant percipi a communicante sub utraque, quam sub una specie: at quamplures contra id senserunt, aliqui autem cupiebant ita formari articulum, ut in eo non fieret mentio de gratia, sed tantum de Sacramento, ut Scholasticæ disputationes declinarentur: Itaque propter hanc dissensionem hic articulus explicatione indigebat.

Dein discutiebatur decimus articulus, in quo adstruitur, *solam fidem esse sufficientem præparationem ad Eucharistiam, neque necessariam esse confessionem, nec etiam teneri homines ad communionem in Paschate*. Prima, & tertia hujus articuli pars, quæ agit de fide tanquam sola, ac sufficienti præparatione, necnon de communionem Paschali ab omnibus absque declaratione fuit damnata, non tamen secunda illius pars rejiciebatur, quæ

Sæcul. XVI.

A.C 15.1.



Sæc. XVI. A.C. 1551. confessionem Eucharistiæ sumptioni præmittendam concernit, nam nonnulli asseriebant: Confessio non est necessaria ad dignam Eucharistiæ sumptionem, non habita copia confessoris, ubi esset conscientia peccati mortalis: sed sufficit contritio cum voto confessionis faciendæ tempore suo, & ideo non foret damnanda secunda illius pars; alii autem dicebant, confessionem simpliciter necessariam, ac ob hoc partem illam esse ut hæreticam damnandam: quidam vero ut erroneam, scandalosam, & ad manifestum animarum interitum perducentem, ac indignæ sumptioni Eucharistiæ ostium aperientem (ut quotidiana probant exempla) eam damnandam asseriebant.

Hujus articuli censuræ obsistebat Melchior Canus asserens, hujusmodi doctrinam fuisse traditam a Cardinale Cajetano, ab Adriano Sexto Papa, & a Roffensi Episcopo, in articulo decimo sexto adversus Lutherum, a Petro Paludano, & a Richardo in quartum sententiarum distinctione decima septima, nec non a Theophylacto in primam ad Corinthios capite undecimo, a Joanne Chryostomo homilia decima octava in caput decimum ad Corinthios, & a Pa-

Panormitano in caput de Ordine, titu- Sæcul. XVI.  
lo de celebratione Missæ. (\*) A. C. 1551.

Profitebatur tamen idem Canus, quod ipse nullatenus in ea sit sententia, eo quod hæc propositio Ecclesiæ traditioni adversetur; inde vero concludebat, quod ad sanctam Synodum, quo pacto proscribenda sit, definire spectaret, se vero arbitrari inquiebat, hunc articulum tanquam hæreticum non esse damnandum. Ad hæc respondit Martinus Olavius Augustani Cardinalis Procurator: mihi videtur, præmittendam esse noxarum exhomologesim, ob varios abusus, qui oriebantur ex licentia, quam oppositæ sententiæ Sectatores sibi arrogabant, nolo tamen, ut id ceu necessarium statuatur.

Ambrosius Pelargus censuit, hanc adijci clausulam: *Habita Confessarij copia.* Denique Franciscus Villarva Hispanus e S. Hieronymi familia Archiepiscopi Granatensis Theologus existimabat, hujusmodi obligationem non inniti præcepto Divino, sed duntaxat piæ,  
A 5 ac

(\*) Prudenter Lectores suos Pallavicinus l. c. his verbis monet, *cum a me testimonia referuntur, ut ab aliis producta, mihi propterea non est animus affirmandi, allatos Scriptores loqui secundum eorum Sententiam, qui ipsos adducunt.*

Sæc. XVI. ac laudandæ Ecclesiæ consuetudini.  
A.C. 1551. Hujus oppositio tantum effecerat, ut  
 tum hac de re nihil decideretur.

## §. IV.

*Pontificii Legati sententia de articu-  
 lorum proscriptione.*

*Pallav. 1. 12.*  
*t. 2. n. 9.* Collectis diversis Theologorum opi-  
 nionibus, ac responsis tota rei  
 series in bino Conventu die decima sep-  
 tima, ac vigesima prima Septembris  
 habito Synodi Patribus proponebatur,  
 eo fine, ut demum perversæ doctrinæ  
 in hisce articulis contentæ damnaren-  
 tur: antequam tamen anathemata pro-  
 nuntiabantur, Legatus hunc in modum  
 perorabat: „Mibi ut conscientia meæ  
 „fatisfaciam, quædam prius admonenda  
 „censeo, ac præprimis quidem „mibi  
 „minime videtur, in nono articulo  
 „quidquam definiendum, æqualis ne,  
 „an major gratia impertiretur ei, qui  
 „utramque speciem præ illo, qui uni-  
 „cam solum acciperet? propterea quod  
 „complures Doctores inæqualitatem  
 „haberent pro vera sententia, & Con-  
 „cilio satis esset hæreses prohibere, in  
 „quo plurimum adhuc operæ supererat,  
 „Scholasticis quæstionibus relictis: præ-  
 „terquam quod nec etiam opportunum  
 „fuiſſet, ut ad inæqualitatem propen-  
 „derent.

„derent, ne fieret laicorum in Sacer-  
 „dotes commotio, quasi fraudarentur  
 „ab ipsis ea majori gratia, quæ duarum  
 „specierum sumptioni\* tribuitur. De  
 „decimo: Utrum, antequam Evcharistia  
 „sumatur, necesse sit peccata confiteri,  
 „cum utrinque multi, gravissimique  
 „scriptores adsint, videtur mihi, po-  
 „sitionem allatam simpliciter reijcien-  
 „dam, statuendumque, ut unusquis-  
 „que, antequam Evcharistiam sumeret,  
 „obligaretur omnino ad noxas confiten-  
 „das: cum alias, ubi aliter fieret, mag-  
 „num periculum adiretur: nihil tamen  
 „dubito, quin Patres ea sint consilia  
 „suscepturi, quæ christianæ reipublicæ,  
 „ac religioni prodesse plurimum. „

## S. V.

*Patrum reverentia erga opiniones  
 Scholasticas.*

Præterea Legatus omnino censebat, *Pallav. l. c.*  
 decisiones ita temperandas, atque  
 earum voces tam accurate seligendas,  
 ac trutinandas esse, ut diversis Schola-  
 rum opinionibus, circa quas Doctores  
 Catholici aliunde inter se diffidebant,  
 nulla inferretur injuria. Enimvero pru-  
 dentia legibus apprime consonum hoc  
 erat, ne Synodus novis tumultibus Eccle-  
 siam exponeret per funestas altercatio-  
 nes,

Sæcul. XVI. A.C. 1557. nes, quæ absque dubio inter Theologos fuissent suscitæ, si quædam ejusmodi opiniones fuissent discussæ, ac proscrip- tæ. Insuper providum hoc consilium ipsemet summus Pontifex vehementer urfisse videtur, dum disertis verbis præ- ceperat, ut salvæ relinquerentur Scho- larum opiniones, nec Theologorum ullus absque necessitate offenderetur, sed potius omnium Catholicorum vires adversus Sectarios juncta opera intenderentur. Id quoque accurate fuisse observatum ex ipsis deprehenditur verbis, quibus Synodi Decreta fuere concepta: anxia enim, si ita dicere fas est, religiositate Concilii Patres studiose inquirebant in voces, quæ ex probatis Scholis nullam ullo pacto offenderent, veritatem tamen, quæ definiretur, exacte declararent. Hæc agendi ratio magis adhuc elucebit in decisionibus, quæ in decima quarta Sessione circa Sacramentum Pœnitenti- æ fuerunt promulgatæ.

## §. VI.

*Varie Præsulum sententiæ circa nonum  
& decimum articulum.*

*Callav. c. 2.  
n. 11. & 12.*

Postquam Legatus hæc monita Patri- bus proponebat, Tridentinus Car- dinalis, cui proxime dicendi jûs erat, præfatos condemnabat articulos, simul tamen

tamen suadebat, denegandam non esse Germanis, etiam Catholicis, utriusque speciei sumptionem, idque plurimis rationibus publicam utilitatem concernentibus comprobare nitebatur. Circa nonum vero articulum unacum Legato censebat, nullam de gratiæ inæqualitate mentionem esse faciendam, siue demum sub una, siue utraque specie Sacra Synaxis sumatur. Agens denique de articulo decimo circa noxas ante Corporis Christi sumptionem expiandas, existimabat omnino hæc verba esse addenda, *habita copia Confessionis realis, aut saltem in voto ita*, ut Confessio, quam primum peragi poterit, Deo promittatur. In eandem ferme sententiam Moguntinus, & Trevirensis Electores abibant, quibus etiam accessere Episcopi Zagabrienfis, & Viennensis Romanorum Regis Oratores. Verum Turritanus, & Granatensis Archiepiscopi, necnon supremus Ordinis S. Augustini Præpositus contendebant, minus gratiæ illis conferri, qui sub unica tantum specie Eucharistiam accipiunt. His ceteri omnes adversabantur, aut saltem hanc quæstionem potius silentio premendam censebant: Unde hæc prævaluit sententia, quod æqualis sit gratia, siue Christi Corpus sub una, siue sub utraque specie recipiatur, satis tamen esset, omnem  
hac

Sæcul. XVI.

A. C. 1551.

Sæcul. XVI hac de re mentionem prætermitti. Quod  
 A. C. 1551. articulum decimum, seu præceptum  
 noxas ante Communionem expiandi  
 spectabat, non minus inter Synodi Præ-  
 fules, quam Theologos nonnulla erat  
 opinionum varietas; quippe arbitraban-  
 tur plerique, quod confessionem præ-  
 mitti, ita necessitas suadeat, ut tamen  
 oppositæ opinioni nota hæresis nondum  
 inuri deberet.

## §. VII.

*Canones confecti, ac Patribus in qua-  
 dam Congregatione exhibiti.*

*Pall. l. 12. c. 2. n. 14. & 15.* **R**ebus ita discussis novem Patres scien-  
 tia, atque auctoritate ceteris magis  
 conspicui seligebantur, qui decreta con-  
 ficerent, iique circa decimum articulum  
 Canonem eodem omnino tenore, quo  
 postea in Canone undecimo exhibebi-  
 tur, concinnabant, hæc tamen adde-  
 bant: *habita copia Confessoris.* Itaque  
 Canones, hoc pacto concepti primo in  
 Conventu die prima Octobris, & postea  
 in alio sexta ejusdem Mensis habito ad  
 Synodi Patres referebantur, moxque ad  
 edicendas sententias cuncti convenerunt,  
 exceptis horum Canonum Auctoribus;  
 his enim duntaxat injunctum, ut ipsi, si  
 quid ab aliis objiceretur, de labore suo  
 rationem redderent: cum vero in Canone  
 ne

ne undecimo indicta etiam anathematis Sæcul. XVI.  
 pœna prohiberetur, ne quis publice con- A. C. 1551.  
 troverfiam moveret circa decimum ar-  
 ticulum, in quo *illis, quos peccati morta-*  
*lis conscientia gravat, ante communionem*  
*necessario præmittendam esse confessionem de-*  
*cidebatur, vox autem illa publice non-*  
*nullis displiceret, hinc Cornelius Mus-*  
*sus Bituntinus Episcopus illis respondit:*  
 hanc vocem appositam fuisse ad evitan-  
 dam populi offensionem, privatam ta-  
 men de eo disceptationem haud esse in-  
 terdictam. Circa tertium quoque Ca-  
 nonem, quo anathema pronuntiabatur,  
*si quis dixerit, sub qualibet specie, & sub*  
*qualibet ipsius parte non contineri totum*  
*Christum,* nonnulla erat opinionum di-  
 versitas: Joannes enim Æmilianus Hi-  
 spanus, ac Tudætanus Antistes hæc  
 verba *facta separatione* omnino addenda  
 monebat, idque consilium sequeban-  
 tur ceteri, quamvis nonnulli nomine  
 Constantiensis, Stabiensis, & Lancia-  
 nensis Episcoporum sese opponerent,  
 causati, hac additione inferri, perinde  
 ac si ante separationem Christus Domi-  
 nus sub qualibet parte integer ad-  
 esset. Verum Bituntinus Episcopus op-  
 portune suggerebat, solas hæreses esse  
 damnandas, non item definiendas  
 Scholasticorum opiniones, unde hæc  
 disceptatio mox deserbuit.

Post-



Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

Postquam igitur Synodi Patres hoc  
ce Canones ita emendabant, rursus de  
Confessione Eucharistiæ sumptioni præ-  
mittenda actum est, decretumque, ad-  
denda esse hæc verba: *quantumcunque  
etiam se contritos existiment habita co-  
pia Sacerdotis confessionem præmittant,*  
nec etiam vox publice expungeba-  
tur. Attamen in Conventu die nona  
Octobris celebrato Turritanus, seu Sas-  
fariensis (quod in idem recidit) Episco-  
pus censuit, Canoni hanc conditionem  
esse adjiciendam: *nisi adsit ingens necessi-  
tas.* Præterea Stabienfis Episcopus has  
alias voces apponi voluit: *quando scan-  
dalum non vetat:* Alii vero alias conditio-  
nes addi peroptabant: Ast nonnisi vox  
*Sacerdotis* in nomen *Confessarij* est per-  
mutata, prout Jacobus Naclantus E-  
piscopus Clodiensis proposuerat, eoquod  
non cuilibet Sacerdoti confessionis ex-  
cipiendæ potestas data esset, & quam-  
vis Bituntinus Antistes allegasset, a  
Constantiensi Concilio non vocem *Con-  
fessarij*, sed *Sacerdotis* adhiberi, nihilo-  
minus Naclanti sententia rata habebatur.

§. VIII.

*Canonibus etiam doctrinæ capita esse  
adjungenda propositum.*

Sarpus hist.  
Conc. Trid.  
l. 4. p. 306.

Cum per Canones anathematis pœ-  
nam

nam intentantes, duntaxat errores  
confutari viderentur, quin tamen  
ea, quæ credenda sunt, proponerentur,  
hinc nonnulli ita perorabant:

„Priusquam ulterius proceditur, confi-  
„cienda sunt doctrinæ capita, nec in  
„priscis Conciliis alia ratio inita, sed  
„declarata primo sententia Catholica,  
„tum contraria damnata, atque id ip-  
„sum in articulo de justificatione Triden-  
„tinæ Synodo sub Paulo III. cessit feli-  
„citer, licet in sequenti de Sacramen-  
„tis Sessione Patribus ob graves, & ve-  
„hementes causas consilium necessario  
„esset mutandum, sed nunc coeptum  
„potius urgendum solidis rationibus sub-  
„nixum, quam id, quod duræ necessita-  
„tis violentia postea immutatum fuit.

In opinionis hujus suffragium mox  
adfuere Theologorum quamplurimi,  
præcipue vero natione Itali: unde Pa-  
trum nonnulli nominabantur, qui fidei  
articulos proponerent, totamque fidei  
Doctrinam ad octo capita redigerent, in  
quibus agebant de præsentia reali, de  
Institutione, excellentia, & adoratio-  
ne Eucharistiæ, necnon de Transsub-  
stantiatione, ac dispositione ad hoc Sa-  
cramentum, tandem de usu Calicis in  
Laicorum communionem, ac de pueris  
S. Synaxin recipientibus. Post hæc  
Patrum potissimi, ne maximi momen-

*Hist. Eccles. Tom. XXI.*

B

ti

Sæcul. XVI.

A. C. 1551.

*Belcar. hist.*

l. 12. c. 6. n. 1.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

ti articulus prætermitteretur, admonerentur; explicandum enim censebant, quod *hujus Sacramenti Minister sit Sacerdos legitime ordinatus*; nam Lutherus, ejusque Sectatores persæpe docuerant, quod quilibet Christianus, imo & fæminæ consecrandi potestatem habeant.

§. IX.

*Actum de præsentia Christi Domini in Eucharistia.*

Ut ergo hæc doctrinæ capita conficerentur, quædam indicebantur Congregationes, in quarum prima de reali præsentia agendum proponebatur: nihil tamen de modo, quo Christus Dominus in hoc Sacramento præsens existit, decidebatur, ne Dominicanos inter & Franciscanos jurgia excitarentur, non enim una illorum est opinio; quippe Dominici Corpus Christi Domini in Eucharistia præsens esse docent via productionis, eo quod Corpus Christi Domini loco panis per ejusdem substantiæ reproductionem præsens fiat, quin de cælis, ubi sedem suam quasi *naturalem* habet, descendat, juxta quam doctrinam substantia panis mutatur in substantiam Corporis Christi, quod uno nomine *transsubstantiatio* vocatur. Ex adverso Franciscani transsubstantiationem

nem *adductivam* propugnabant, seu contendebant, quod Corpus Christi e Cælis non per motum successivum, sed instantaneum adducatur, ita, ut panis transmutetur in substantiam Corporis Christi, sed Caro Salvatoris aliunde adducta succedat substantiæ panis. Ceterum quælibet ex hisce Scholis suam opinionem strenue defendebat, atque sententiam oppositam multis a veritate absonis, ac repugnantibus propositionibus scaterere asserebat: cum ergo unitigantium parti satisfieri haud posset, quin offenderetur altera, hinc Veronensis Episcopus, qui hujus materiæ discussioni præerat, post aliquamdiu protractam utriusque sententiæ explicationem earum neutram approbabat, unde in Generali Congregatione sancitum, declarationem vocibus adeo amplis esse faciendam, ut illa utriusque sententiæ sensui accommodari valeat. Hæc provincia præside Veronensi Episcopo demandata fuit quibusdam Præfulibus, ac Theologorum nonnullis.

## §. X.

*Montfortij Comitis monita circa publicæ securitatis literas, atque usum Calicis.*

Cum inter hæc capita non infimam *Pallav. l. 123*  
B 2 ope-<sup>c.</sup> 8.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

*Sleidan.**tomn. l. 23.**p. 827.*

operam sibi vendicaret quæstio de Communione sub utraque specie, Patres que decidere juberentur, an illa sit, nec ne necessaria, hinc Montfortius Comes Cæsaris Orator existimabat, quod facile, si ejusmodi decisio fieret, Protestantes irritari, atque a Synodi accessu arceri possent, quapropter ceteri Oratores, Regisque Romanorum Legati præprimis habito consilio una omnes accedebant Synodi Præsides, atque hanc definitionem differri rogabant. Hanc in rem Montfortius memorabat immensos Cæsaris labores bello, paceque eo ex fine exantlatos, ut Protestantes Synodo subiiceret: Jam autem si illi venire recusaverint, omnes hi conatus, ac consilia in irritum impensa dicebat, quocirca nulli labori, ut hi Conclio interesse velint, parcendum asserebat, eaque omnia sollicitè præcavenda, quæ ipsos abstertere possent. His addidit: „Imperator, ut illos eo certius ad Synodum alliceret, publicæ securitatis literas eisdem tradidit, cum vero hæc cautio ipsis non satis idonea videatur, eo quod Constantiensis Synodus re ipsa probasset, Concilia nullis Principum profanorum literis, ac securitatis promissionibus obstringi, hinc publicæ fidei tabulas ut ipsi Patres Tridentinis ipsi darent, se efflagi-

flagitate aiebat, cum Cæsar jam Pro-  
 testantibus promisisset, se id a Synodo  
 obtenturum, ideo factum, ut ipse Ora-  
 tor, ejusque Socii ejusmodi literas a  
 concilii Patribus petere jussi sint, con-  
 cepta spe, se petita impetraturos. Ve-  
 rum Legatus responsionem ad hunc ar-  
 ticulum in proximam Sessionem rejecit,  
 ut Pontificem desuper certiozem red-  
 dendi spatium nancisceretur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.

Postea Montfortius Comes ad ar-  
 ticulum de Evcharistia progressus, hunc  
 in modum perorabat: „Ex iisdem ra-  
 „tionibus mox a me allegatis mihi op-  
 „portunum non videtur, ut ante Pro-  
 „testantium adventum controversiæ de  
 „Evcharistia excutiantur, cum alia  
 „non desint, vel reformationem spec-  
 „tantia, vel cum illis minime contro-  
 „versa. Verum ad hoc respondit Le-  
 „gatus: jam dudum constitutum est a  
 „Patribus de Evcharistia agere; cum-  
 „que principio decretum sit, in singulis  
 „Sessionibus fidei dogmata, & Re-  
 „formationis capita simul agitare, hinc  
 „præstitutus ordo inverti nequit, aliun-  
 „de vero cum ea, quæ Evcharistiam  
 „tangunt, Confirmationis doctrinam  
 „necessario sequantur, atque de iis jam,  
 „priusquam Synodus migrasset Bono-  
 „niam, ultimo loco actum esset, nulla  
 „alia tractandi ratio nunc institui po-

B 3

„test

Sæcul. XVI. „test, sed primo agendum de Evcha-  
A.C. 1551. „ristia, quæ Controversia magis respi-  
 „cit Helvetios, Zwinglianos, quam  
 „Germaniæ Protestantes, qui instar il-  
 „lorum Sacramentarii non sunt. „ De-  
 inde Comes ad communionem calicis  
 sermone converso ostendit, abiiciendam  
 plane spem omnem conciliandorum Pro-  
 testantium, si semel intelligunt, articu-  
 lum illum, quem tantopere urgent,  
 contra suam sententiam decisum, cum  
 Cæsar in decreto suo de re religionis  
 interim attemperanda, calicis usum  
 ipsis permittere coactus fuerit, ut pro-  
 inde nunc etiam ad Protestantium us-  
 que adventum differenda sit ejus trac-  
 tatio.

Hæ rationes firmæ videbantur, nec  
 id inficiabatur Legatus, cum vero rem  
 decidere suarum partium haud effret,  
 hinc benigno sermone rem protrahere  
 studuit, ut demum, quid Pontifex sen-  
 tiret, acceptis literis exploratum ha-  
 beret, sub idem tamen tempus ad Pa-  
 pam articulos a Theologis examinatos,  
 nec non doctrinæ capita, ac Canones  
 sancitos retulit.

## §. XI.

*Pontificis responsum ad Montfortii Co-  
 mitis propositiones.*

Postquam summus Pontifex per Lega-  
 ti

ti literas de cunctis Montfortii postula-  
 tis certior reddebatur, rem in quodam  
 Patrum Senatu proposuit. Varia tum  
 erat opinantium sententia, præcipue  
 circa fidei publicæ literas, quas Comes  
 Protestantibus a Tridentinis Patribus  
 dari postulabat. Potissimi illis ejusmo-  
 di literas concedi negabant, eo quod,  
 inquiebant illi, id a nulla unquam Sy-  
 nodo factum legatur, excepto solo Ba-  
 fileensi conventu, quem tamen nulla  
 ex parte imitari oporteret. His adde-  
 bant, quod Protestantium accessus ad  
 Concilium unice deserviret ad corrup-  
 pendorum quorundam fidelium mores,  
 cum hi prohiberi vix possent, ne suam hæ-  
 resin diffeminarent: Idem quoque ante  
 aliquot annos Paulo Vergerio Justino-  
 politano Antistiti accidisse referebant:  
 Aliunde vero metuendum esse ajebant,  
 ne Lutheri Sectatoribus sese Concilio  
 subiicere renuentibus datæ fidei aucto-  
 ritas in Concilii vilipensionem cederet:  
 denique hac in re a Synodo obsequii  
 genus hæreticis nunquam deferendum  
 postulari inferebant. Alii econtra af-  
 firmabant, quod Protestantibus hac fi-  
 dei publicæ cautione esset satisfaciend-  
 um, non tam compendii ex eorum  
 conversione hauriendi spe, quam omnis  
 excusationis, ac prætextus ipsis præ-  
 cidendi studio: Præcipue vero Cæsari

Sæc. XVI.  
 A.C. 1551.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

id impensius flagitanti ultro concedendum censebant, ne forte Patres ejus voluntati cedere vi compellantur, eo potissimum tempore, quo Pontifex a Franciæ Rege bello pressus omnino a Cæsaris arbitrio dependeret: De cetero securitatis literas ita instruendas existimabant, ut nullo, aut saltem levissimo nexu Patres obstringant, dummodo speciatim Protestantes non nominentur, sed amplioribus verbis duntaxat Ecclesiasticis, atque Nationis Germanicæ Laicis cujuscunque demum conditionis caveretur: Generalibus enim hisce verbis Protestantes quidem comprehendere asserebant, æque tamen dici posse, quod soli Catholici his verbis intelligantur, minime vero Protestantes, quos alioquin distincte, ac speciatim nominari convenisset. Denique putabant, hæc securitatis literas eo modo, ut nihilominus sua summo Pontifici auctoritas constaret, Protestantibus esse concedendas, necnon iudices, qui in perpetrata crimina inquirant, ita esse deputandos, ut horum electio ad avertendam omnis suspicionis causam, ipsis Protestantibus relinqui posset: hac ratione disciplinæ vim, ac Pontificis auctoritatem retentum iri ajebant.

Prævaluit posterior hæc sententia apud Julium Pontificem, qui horum  
bi con-

confilia eo promptius sequebatur, quo magis Legati voluntati consonum esset: Sæcul. XVI. A. C. 1551.  
 Unde datis ad eundem literis illius prudentiam valde commendans præcepit, ut juxta tenorem nuper transmissum publicæ fidei literas confici juberet, atque ultra trimestre discussionem articuli de communione Calicis, cum interim Protestantes expectarentur, differret, atque intra quadraginta dierum intervallum una haberetur Sessio de Sacramento Pœnitentiæ. Tandem Papa in suo responso observabat, quod Canones de Eucharistia paulo fusiori calamo fuerint conscripti, unde potius illos esse dividendos monebat. (\*)

§. XII.

*Reformationis capita in quibusdam Congregationibus discussa.*

Eodem tempore, quo Tridenti de doctrinæ capitibus agebatur, aliæ habebantur Congregationes, in quibus ea, quæ morum emendationem concernunt, discutiebantur: Præprimis vero agebatur de Jurisdictione Episcopali. Paul. Sarp. l. 4. p. 31. Pallav. l. 12. c. 4. n. 1.

B 5

§. XIII.

(\*) Hæc omnia Continuator ex Paulo Sarpio vix non de verbo descripsit, eum tamen allegare noluit, ne forte sedulus Lector ea deprehenderet, quæ Continuator ad majorem invidiam in Pontifices, & Synodi Patres concitandam pro suo arbitrio adjecit.

Sæcul. XVI.

A. C. 1551.

§. XIII.

Joannis Gropperi oratio contra Jurisdictionem Ecclesiasticam.

Hanc in rem Joannes Gropperus natione Germanus, ac Bonnenſis Eccleſiæ Præpoſitus acriter declamabat contra Appellationes, ita effatus: „(\*) Cum Fidei fervor Chriſtianorum cordibus inſideret, Epiſcoporum tribu-  
nalia erant charitatis judicia, eaque non adminiſtrabantur, ut hodie fieri ſolent, per ipſorum Officiales, ſed per Epiſcopum, & Sacerdotes quaſi in quodam Senatu, ſeu Synodo congregatos, tunc nomen appellationis ab horum judiciis ad Papam vox erat haud audita, inde autem orta eſt extra patriam magno cum expenſarum impendio proficiſcendi neceſſitas: ſi vero huic corruptelæ, quæ non modo reſt-  
dendi legem violat, ſed etiam diſciplinam corrumpit, remedium opponi lubet, primam judiciorum normam ad originem ſuam, quantum poterit, re-

(\*) Hanc orationem ex ſuo cerebro confarcinavit Paulus Sarpius, eam tamen omnino confutavit Pallavicinus l. c. unde haud ſatis mirari poſſumus Continuatoris audaciam, qui Pallavicinum allegare, ſui vero Suavis errores ſequi non abhorruit.

„revocandam censeo, ut proin prohi- Sæcul. XVI.  
 „beatur appellatio ad alios Judices ex- A.C. 1551.  
 „tra appellantium ditionem existen- Paulus Sar-  
 „tes, simulque interdicator, ne præ- pius lib. 4.  
 „termiffis inferioribus Judicibus statim  
 „ad supremum Judicem primo saltu ten-  
 „datur, aut a sententia, ut vocant,  
 „interlocutoria provocetur: Ut vero  
 „jus majori fide ac sinceritate dicatur,  
 „judicia Synodalia omnino restituenda  
 „arbitror, profligandos autem cum  
 „suo foro Officiales, prohibendas-  
 „que provocaciones, quæ ad Papam  
 „interponuntur, quin ad proximum  
 „Superiorem recurratur. (\*)

#### §. XIV.

(\*) Haud toleranda est Continuatoris im-  
 pudencia, qui haud contentus, quod pro mo-  
 re suo ex livido suo Paulo Sarpio ea, quæ  
 magis injuriosa sunt, confarcinaverit, insuper  
 de prohibitis appellationibus ad Papam, de  
 quibus tamen nec ipse Sarpus, vel verbulo  
 aliquid narrat, mentionem ingerere non eru-  
 buit. Ecce! quibus artificii malevoli ar-  
 gumenta suppeditent iis, qui pro sæculi genio ex  
 corruptis ejusmodi fontibus velut Historiæ Ec-  
 clesiasticæ monumentis ad suas calumnias spe-  
 cietenus fulciendas abutuntur.

Sæcul XVI.

A.C 1551

§. XIV.

*Joannis Baptistæ Castelli responsum  
ad orationem Gropperi.*

*Sarpinus l. c.* **H**æc oratio Synodi Præsidibus haud parum displicuit; verebantur enim, ne hæc disciplina, quam Gropperus commendare, atque introducere nitebatur, si semel prævaleret, plus iusto Curiae Romanæ juribus derogaret, quapropter Joannes Baptista Castellus Bononiensis in sequenti Congregatione ad Gropperi sermonem respondere jubebatur. Paruit ille, orationem suam a priscae Ecclesiae usibus, eorumque laudibus ita exorsus, ut tamen in veteri illorum temporum regimine Ecclesiastico graviores adhuc defectus notaret. Postea, orationem suam his verbis prosequabatur: *Illi, qui præconio suo Synodalia judicia extollunt, in eorum defectus vix unquam inspexerunt; nempe, ob causarum multitudinem, in iisdem dijudicandis moram, in diligenter examinandis obstacula, in tot Judicibus informandis difficultates, Et a factionibus inter partes tumultus, propter quos, cum parum prospere succederent, credibile est, tum illa judicia intermissa, tum confusione huic vitandæ forum, Et officiales introductos. Negari quidem non potest, non deesse etiam in his, quæ requirant emendationem: Sed hoc*

hoc

hoc faciendum, neque tamen illa revocanda, quæ, quod intolerabilia essent, abrogata sunt. Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
 In Apellationibus consueverunt per intermedios judices procedere, neque his præteritis ad supremum transilire. Id idem sublatum, quia Provinciarum, & Regnorum capita Ecclesiam tyrannide premebant; & remedium maxime opportunum repertum, causarum, negotiorumque cognitionem Romam referre. Id equidem fateor suis non vacare incommodis, ac in primis temporis, & pecuniæ jactura: Sed quæ oppressione multo sunt tolerabiliora. Si quis pristinum judiciorum statum restituat, is, dum uni malo medetur, multa, & horum quodque majus graviusque concitabit. In primis vero considerandum, eandem regiminis rationem in republica non omnibus temporibus accomodam, sed ut temporum sunt inclinationes, ita variandus gubernationis modus: vetus regendæ Ecclesiæ forma conducibilis non foret, nisi Ecclesiæ quoque status antiquum obtineat. Tota via errabit, qui, quod libertatem eam, quæ datur parvulis, edendi, bibendi quod lubet, quocumque tempore, ad valetudinem, corpusque firmandum, salutarem deprehenderit, & viri annis, ac ætate confecti senectutem ad eundem modum gubernandam putet. Ecclesiæ olim fuerunt parvæ, Ethnicis circumseptæ, & quia hosti vicinæ, hoc inter se magis unitæ, & nunc, & amplæ, & sine adversario,  
 qui

Sæc. XVI. A.C. 1551. *qui in via officii contineat. Itaque communia cum negliguntur, necessum est, unus aliquis in eorum curam, ac procurationem incumbat. Si unaquæque Provincia suas causas cognosceret, tanta intra paucos annos varietas exoriretur, ut pugnare inter se, neque ejusdem esse fidei, ac religionis cernerentur. Pontifices Romani multas Ecclesiastici regiminis partes, quamdiu omnia rite, atque ordine administrabantur, sibi haud quaquam vendicarunt; administrationem vero ab aliis neglectam, aut male procuratam sibi sumpserunt, nec e succedentibus Pontificibus defuerunt multi, & summa vitæ Santimonia, & egregia erga Ecclesiæ bonum voluntate, qui ea ipsa in pristinam formam restituisent, nisi prævidissent, iisdem corruptelis recurrentibus, vix ullam subesse spem rectæ administrationis, quam ob rem ad conservandam Ecclesiæ unitatem, res eo, quo nunc sunt, statu relinquendæ.*

## §. XV.

*Statuta circa Appellationes.*

*Dupin. Bill. des Aut. Eccl. tom. 15. p. 101. Sarpinus l. 4. p. 316. & 317.* **V**erum nec hæc sententia, quamvis Præsidibus pergrata accideret, placuit Episcopis, minus vero Italiæ Præfulibus; licet enim summi Pontificis auctoritatem salvam omnino cuperent, nihilominus ægre ferebant, quod ipsi minori loco haberentur, solusque Papa cuncta præstare videretur, hinc non nihil

nihil indignari cæperant : Opus igitur Sæcul XVI  
A.C. 1551.  
 erat quadam moderatione, qua utrique  
 parti satisfaceret : Ergo decernitur, *ut a  
 solis definitivis Episcoporum, atque Officia-  
 lium sententiis duntaxat in causis criminali-  
 bus provocatio fieret* : Porro de civilibus  
 nulla facta fuit mentio, his addebatur :  
 In ipsis quoque criminalibus causis non  
 licebit appellare a sententiis interlocu-  
 toriis, priusquam definitivum fuerit  
 pronuntiatum iudicium : Ceterum no-  
 lebant iudicia Synodica restituere, at-  
 que Officialium tribunalia abrogare.  
 Præterea Episcoporum nullus a Syno-  
 dis Provincialibus seu a Metropolitano,  
 ejusque Provinciæ Episcopis juxta an-  
 tiqua jura dijudicari petebat; nemo e-  
 nim iudicia adversus se ipsum expedita  
 reddere satagebat; eoquod contra Epif-  
 copum iudicii acta, si Romam appel-  
 lare, vel ab hac Curia Deputatos ex-  
 pectare oportet, longe difficilius confi-  
 ci possint, quam si in propria ipsorum  
 ditione coram patriis eorum Iudicibus,  
 seu Synodis accusarentur : quapropter  
 summo Pontifici per Commissarios de-  
 legatos *in partibus* iudicandi potestas re-  
 linquebatur, præcepit tamen Synodus,  
 ut in Papæ Commissarios Viri seligeren-  
 tur inferiores ipso Episcopo, cum hic  
 Iudicis personam sustineret. Hæc in-  
 ter ceteras non infima erat ratio, ob  
 quam



Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

quam Galli Tridentinam Synodum, ut reformationis capita recensentes memorabimus, recipere recusaverunt, eo quod hoc decretum contra priscos Canones Metropolitæ, ac Provinciæ Præsulibus Episcopos judicandi auctoritatem adimeret.

Supererat adhuc circa Jurisdictionem Episcopalem quidam articulus, quem Patres moderari petebant. Concernebat hic *degradationes*, quæ haud aliud est, ac quædam censura, vi cujus Ecclesiasticus in perpetuum Ordinis sui exercitio, ac beneficio Ecclesiastico privatur. Frequens erat circa hoc caput disceptatio, dudumque hæc quæstio in Patrum Conventu agitabatur, nec tamen Synodo consultum fore visum est, hujus pœnæ usum abrogare: Unde duntaxat illam mitiorem reddendi media excogitabantur, ut hujus sententiæ executio cum minori severitate, ac parciore sumptu fieri posset. Hanc ob rem promulgabatur caput quartum de reformatione.

§. XVI.

*Decreta in quodam Conventu sancita.*

Interea Legatus circa ea, de quibus Papam consuluerat, ab eo responsum accipiebat, hancque in rem habito conventu generali præprimis referebat

bat omnes rationes, quas Montfortius Sæcul. XVI.  
Comes circa publicæ fidei tabulas Pro- A. C. 1551.  
testantibus dandas, nec non circa quo-  
rundam articulorum dilationem de usu  
Calicis proposuerat. Addebat Legatus,  
hasce Comitibus rationes sibi haud ini-  
quas videri, de cetero autem, quod to-  
tam rem ad Pontificem perscripsisset,  
reticebat, subjungens, quod aliquam-  
diu, quamvis juxta decretum Sessionis  
die prima Septembris habitæ de Sacra-  
mento Eucharistiæ ageretur, idque ne-  
cessario agitandum foret, nihilominus  
præcipuorum quorundam articulorum,  
qui adhuc controversi sunt, decisio abs-  
que præjudicio differri posset. Hac de  
re Patrum suffragia colligebantur, qui-  
bus inspectis omnium sententia eo abi-  
bat, ut publicæ securitatis literæ Pro-  
testantibus darentur, hinc mox Præ-  
sidiis illas expediendi cura est deman-  
data: Ubi vero de differenda discussio-  
ne, quæ articulum circa Communio-  
nem sub utraque specie tangebatur, age-  
batur, contendebant non pauci, Pro-  
testantibus nihil esse indulgendum, nisi  
saltem se ad Synodum venturos, illius-  
que decisionibus submissuros polliceren-  
tur: Porro illi, quibus mitior erat in-  
doles, respondebant, satis Concilii auc-  
toritati cautum esse, eo quod ipsimet  
Protestantes hanc dilationem fieri po-  
stulaf-

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

stulassent. Horum consilium sequebantur ceteri. His ita statutis inter alios articulos proxime discutiendos proponebatur quæstio de Communione infantum, atque articulus de tollendo Calicis usu in tria capita dividebatur, ut magis distincte exponeretur, nec quæstio jam antea decisa ob unicum quoddam caput alias oblivione sepultum rursus ageretur. Cuncta hæc Patrum consilia per capita, & Canones de Eucharistia fuere approbata, sicut etiam articuli de reformatione; sancitum tamen, ut nullatenus in decreto hæc verba ponerentur, *quod Protestantes ad preces cujusdam Præsulis Germani in Synodo audiri postularint*, cum Protestantes id non sine Synodi dedecore negare possent: hinc correctis hisce verbis potius addebatur, quod Protestantes audiri duntaxat desiderent, cum id haud dubiæ fidei esset, eo quod Protestantes id in variis occasionibus ipsimet falsi fuissent. Porro publicæ securitatis diploma conficiendi cura relinquebatur Præsidibus, qui Viros hujus rei gnaros in consilium vocabant.

## §. XVII.

*Sessio decima tertia Concilii Tridentini.*

Lahbe Coll.  
Conc. p. 404.

His ita dispositis necessaria parabantur ad Sessionem decimam tertiam, quæ

quæ ad undecimam Octobris diem An-  
 ni supra millesimum quingentesimi quin-  
 quagesimi primi indicta, etiam præsti-  
 tuta die celebrabatur. Peragebat rem  
 Divinam Joannes Baptista Campeggius  
 Majoricensis Episcopus, Salvator vero  
 Salupussus Turritanus, seu Saffarien-  
 sis Archiepiscopus in laudem Sacratif-  
 simæ Eucharistiæ sermonem habebat.  
 Ceterum hæc Sessio congregatorum nu-  
 mero, ac dignitate longe celeberrima  
 erat, nam ad eam quoque venerant  
 Colonienſis Archiepiscopus, Christo-  
 phorus Strassen Juris consultus, ac pri-  
 mus Brandenburgici Electoris Confessio-  
 ni Augustanæ addicti Orator, cujus  
 quoque mandatum, atque agendi facul-  
 tas recitabatur: prius vero prælege-  
 bantur decreta fidem, atque reforma-  
 tionem concernentia, quæ quamvis  
 prolixiora sint, mox tamen referemus, ac  
 præprimis quidem Turritanus Archie-  
 piscopus recitabat decretum de Sacra-  
 mento Eucharistiæ his verbis concep-  
 tum: „Sacrosancta Oecumenica, & Ge-  
 neralis Tridentina Synodus, in Spi-  
 ritu Sancto legitime congregata, Præ-  
 sidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis  
 Apostolicæ Legato, & Nuntiis, etsi in  
 eum finem, non absque peculiari Spi-  
 ritus Sancti ductu, & Gubernatione  
 convenerit, ut veram, & antiquam

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.  
 Pallav. l. 12.  
 c. 9. n. 1. &  
 seq.  
 Pjalmaus p.  
 231. 235.  
 Raynald.  
 loc. cit. n. 41.  
 Spond. hoc  
 ann. n. 18.  
 Sleid comm.  
 l. 23. p. 827.

C 2 „de

que-  
 alios  
 opo-  
 fan-  
 licis  
 ma-  
 estio  
 dam  
 rius  
 con-  
 cha-  
 a ar-  
 a ta-  
 hæc  
 es ad  
 e Sy-  
 stan-  
 gare  
 po-  
 au-  
 aud  
 ntes  
 falli  
 s di-  
 atur  
 gna-  
 tini.  
 ban-  
 iam,  
 quæ



Sæcul. XVI. „de Fide, & Sacramentis doctrinam  
 A.C. 1557. „exponeret, & ut hæresibus omnibus,  
 „& aliis gravissimis incommodis, qui-  
 „bus Dei Ecclesia misere nunc exagita-  
 „tur, & in multas, & varias partes  
 „scinditur, remedium afferret: hoc  
 „præsertim jam inde a principio in vo-  
 „tis habuit, ut stirpitus convelleret Zi-  
 „zania execrabilium errorum, & Schif-  
 „matum, quæ inimicus homo his no-  
 „stris calamitosis temporibus in doctri-  
 „na fidei, usu, & cultu Sacrosanctæ  
 „Evcharistiæ superfeminavit: quam  
 „alioqui Salvator noster in Ecclesia sua,  
 „tanquam Symbolum reliquit ejus uni-  
 „tatis, & charitatis, qua christianos  
 „omnes inter se conjunctos, & copu-  
 „latos esse voluit. Itaque eadem Sa-  
 „crosancta Synodus sanam, & sence-  
 „ram illam de venerabili hoc, & divi-  
 „no Evcharistiæ Sacramento doctri-  
 „nam tradens, quam semper Catho-  
 „lica Ecclesia ab ipso Jesu Christo Do-  
 „mino nostro, & ejus Apostolis erudi-  
 „ta, atque a Spiritu Sancto, illi om-  
 „nem veritatem in dies suggerente, e-  
 „docta, retinuit, & ad finem usque  
 „sæculi conservabit, omnibus Christi fi-  
 „delibus interdicit, ne posthac de Sanc-  
 „tissima Evcharistia aliter credere, do-  
 „cere, aut prædicare audeant, quam  
 „ut est hoc præsentis decreto explicatum,

at-

atque definitum. Absoluto hoc decre- Sæcul. XVI.  
to octo sequentia recitabantur capita. A. C. 1551.

§. XVIII.

C A P U T I.

*De reali præsentia Christi Domini in  
Eucharistia.*

„Principio docet sancta Synodus, & Labbe l. c.  
„aperte, ac simpliciter profitetur in Pallav. l. 12. c.  
„almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, Raynald l.  
„post panis, & vini consecrationem, c. n. 43.  
„Dominum nostrum Jesum Christum ve- Pfalmaeus  
„rum Deum, atque hominem, vere, p. 235.  
„realiter, ac substantialiter sub specie  
„illarum rerum sensibilium contineri,  
„nec enim hæc inter se pugnant, ut  
„ipse Salvator noster semper ad dextram  
„Patris in coelis assideat, juxta modum  
„existendi naturalem, & ut multis ni-  
„hilominus aliis in locis Sacramentali-  
„ter præfens sua substantia nobis adsit,  
„ea existendi ratione, quam etsi verbis  
„exprimere vix possumus, possibilem  
„tamen esse Deo, cogitatione per fi-  
„dem illustrata, assequi possimus, &  
„constantissime credere debeamus: Ita  
„enim majores nostri omnes, quotquot  
„in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui  
„de sanctissimo hoc Sacramento disse- Matth. c. 26.  
„ruerunt, apertissime professi sunt, hoc v. 26. & 28.  
„tam admirabile Sacramentum in ulti- Marci c. 14.  
„ v. 22. & 24.

Sæcul. XVI. A. C. 1551. *Luc. c. 22. v. 19. Et 20. I. Cor. c. 11. v. 24. Et 25.* „ma Coena Redemptorem nostrum in-  
 „stituisse: cum post panis, vini que be-  
 „nedictionem, se suum ipsius Corpus  
 „illis præbere, ac suum Sanguinem,  
 „disertis, ac perspicuis verbis testatus  
 „est; quæ verba a sanctis Evangeli-  
 „stis commemorata, & a S. Paulo po-  
 „stea repetita, cum propriam illam,  
 „& apertissimam significationem præ-  
 „ferant, secundum quam a Patribus  
 „intellecta sunt, indignissimum sane  
 „flagitium est, ea a quibusdam conten-  
 „tiosis, & pravis hominibus ad fictitios,  
 „& imaginarios tropos, quibus veritas  
 „Carnis, & Sanguinis Christi negatur,  
 „contra universum Ecclesiæ sensum de-  
 „torqueri: quæ tanquam columna, &  
 „firmamentum veritatis, hæc ab impiis  
 „hominibus excogitata commenta ve-  
 „lut sathanica, detestata est, grato  
 „semper, & memori animo præstan-  
 „tissimum hoc Christi beneficium agnos-  
 „cens.

I. ad Tim.  
cap. 3.

§. XIX.

C A P U T II.

*De ratione institutionis SS. Eucha-  
 ristice.*

I. Cor. c. II. v. 26. „Ergo Salvator noster discessurus ex  
 „hoc mundo ad Patrem, Sacra-  
 „mentum hoc instituit, in quo divitias  
 „divini sui erga homines amoris velut  
 „effu-

„effudit, memoriam faciens mirabi-  
 „lium suorum, & in illius sumptione  
 „colere nos sui memoriam præcepit,  
 „suamque annuntiare mortem, donec  
 „ipse ad judicandum mundum veniat.  
 „Sumi autem voluit Sacramentum hoc,  
 „tanquam Spiritualem animarum ci-  
 „bum, quo alantur, & confortentur  
 „videntes vita illius, qui dixit: qui  
 „manducat me, & ipse vivet propter  
 „me: & tanquam antidotum, quo li-  
 „beremur a culpis quotidianis, & a  
 „peccatis mortalibus præservemur.  
 „Pignus præterea id esse voluit futuræ  
 „nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis,  
 „adeoque Symbolum unius illius  
 „corporis, cujus ipse Caput existit,  
 „cujusque nos tanquam membra arctif-  
 „sima Fidei, Spei, & Charitatis con-  
 „nexionem adstrictos esse voluit; ut id  
 „ipsum omnes diceremus, nec essent  
 „in nobis Schismata.

Sæcul. XVI.

A C 1551

§. XX.

C A P U T III.

*De excellentia SS. Eucharistiæ.*

„Commune hoc quidem est Sanctif-  
 „simæ Evcharistiæ cum cæteris  
 „Sacramentis, Symbolum esse rei fa-  
 „cræ, & invisibilis gratiæ formam vi-  
 „sibilem: verum illud in ea excellens,  
 „& singulare reperitur, quod reliqua

Matth. c. 26.

Marc. c. 14.

v. 22

Roman. c. 6.

C 4

„Sa-



Sæcul. XVI. „ Sacramenta tunc primum sanctifican-  
 A.C. 1551. „ di vim habent, cum quis illis utitur.  
 „ At in Evcharistia ipse Sanctitatis auc-  
 „ tor ante usum est; nondum enim Ev-  
 „ charistiam de manu Domini Apostoli  
 „ sulceperant, cum vere tamen ipse af-  
 „ firmaret, Corpus suum esse, quod præ-  
 „ bebat, & semper hæc fides in Eccle-  
 „ sia Dei fuit, statim post consecratio-  
 „ nem verum Domini nostri Corpus, ve-  
 „ rumque ejus Sanquinem sub panis,  
 „ & vini Specie una cum ipsius anima,  
 „ & Divinitate existere; sed Corpus  
 „ quidem sub Specie panis, & Sanqui-  
 „ nem sub vini specie ex vi verborum:  
 „ ipsum autem Corpus sub specie vini,  
 „ Sanquinem sub specie panis, ani-  
 „ mamque sub utraque vi naturalis illius  
 „ connexionis, & concomitantiae, qua  
 „ partes Christi Domini, qui jam ex  
 „ mortuis resurrexit, non amplius mo-  
 „ riturus, inter se copulantur: Divini-  
 „ tatem porro propter admirabilem illam  
 „ ejus cum Corpore, & anima hypo-  
 „ staticam unionem, quapropter verif-  
 „ simum est, tantundem sub alterutra  
 „ specie, atque sub utraque contineri,  
 „ totus enim, & integer Christus sub  
 „ panis specie, & sub quavis ipsius spe-  
 „ ciei parte, totus item sub vini specie,  
 „ & sub ejus partibus existit.

§. XXI.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

CAPUT IV.

*De Transubstantiatione.*

„Quoniam autem Christus Redemp- *Matth. 16.*  
 „tor noster Corpus suum id, quod *Luc. 22.*  
 „sub specie panis offerebat, vere esse *I. Cor. II.*  
 „dixit; ideo persuasum semper in Ec-  
 „clesia Dei fuit, idque nunc denuo san-  
 „cta hæc Synodus declarat, per con-  
 „secrationem panis, & vini conversio-  
 „nem fieri totius substantiæ panis in  
 „substantiam Corporis Christi Domini  
 „nostri, & totius Substantiæ vini in  
 „Substantiam Sanguinis ejus, quæ  
 „conversio convenienter, & proprie a  
 „Sancta Catholica Ecclesia Transub-  
 „stantiatio est appellata.

§. XXII.

CAPUT V.

*De cultu & veneratione Sanctissimæ  
Eucharistiæ exhibenda.*

„Nullus itaque dubitandi locus relin- *Psal. 96.*  
 „quitur, quin omnes Christi fide- *& Hebr. 1.*  
 „les pro more in Catholica Ecclesia *ex hoc Ps.*  
 „semper recepto patriæ cultum, qui *Matth. c. 2.*  
 „vero Deo debetur, huic Sanctissimo *& 28. Luc.*  
 „Sacramento in veneratione exhibeant, *c. 24.*  
 „neque enim ideo minus est adoran-  
 „dum, quod fuerit a Christo Domino,

Sæcul. XVI.

A C 1551.

„ut sumatur, institutum; nam illum  
 „eundem Deum præsentem in eo ad-  
 „se credimus, quem Pater æternus in-  
 „troducens in orbem terrarum, dicit:  
 „*Et adorent eum omnes Angeli Dei*, quem  
 „Magi procidentes adoraverunt; quem  
 „denique in Galilæa ab Apostolis ado-  
 „ratum fuisse Scriptura testatur. De-  
 „clarat præterea Sancta Synodus, pie  
 „& religiose admodum in Dei Ecclesiam  
 „inductum fuisse hunc morem, ut sin-  
 „gulis annis, peculiari quodam, & fe-  
 „sto die præcellsum hoc venerabile Sa-  
 „cramentum singulari veneratione, ac  
 „Solemnitate celebraretur, utpote in  
 „Processionibus reverenter, & honori-  
 „fice illud per vias, & loca publica cir-  
 „cumferretur. Æquissimum est enim,  
 „Sacros aliquos statutos esse dies, cum  
 „Christiani omnes singulari, ac rara  
 „quadam significatione gratos, & me-  
 „mores testentur animos erga Commu-  
 „nem Dominum, & Redemptorem pro  
 „tam ineffabili, & plane divino bene-  
 „ficio, quo mortis ejus victoria, &  
 „triumphus repræsentatur. Atque sic  
 „quidem oportuit Victricem veritatem  
 „de mendacio, & hæresi triumphum  
 „agere, ut ejus adversarii in conspectu  
 „tanti splendoris, & in tanta universæ  
 „Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati,  
 „&

„& fracti tabescant, vel pudore affecti, Sæcul. XVI.  
 „& confusi aliquando resipiscant. A.C. 1551.

## §. XXIII.

## CAPUT VI.

*De consuetudine Eucharistiam asser-  
 vandi, & ad infirmos deferendi.*

„Consuetudo asseruendi in Sacratio Concil. Later  
 „ Sanctam Eucharistiam adeo anti-sub Innoc.  
 „ qua est, ut eam sæculum etiam Nicæ-III. cap. 26.  
 „ ni Concilii agnoverit. Porro defervi  
 „ ipsam Sacram Eucharistiam ad infir-  
 „ mos, & hunc usum diligenter in Ec-  
 „ clesiis conservari, præterquam quod  
 „ cum summa æquitate, & ratione con-  
 „ junctum est, tum multis in Conciliis  
 „ præceptum invenitur, & vetustissimo  
 „ Catholicæ Ecclesiæ more est observa-  
 „ tum, quare Sancta hæc Synodus re-  
 „ tinendum omnino salutarem hunc, &  
 „ necessarium morem statuit.

## §. XXIV.

## CAPUT VII.

*De Præparatione ad Eucharistiam  
 digne recipiendam necessaria.*

„ Si non decet ad sacras ulla functiones  
 „ quempiam accedere, nisi san-  
 „ cte; certe quo magis Sanctitas, &  
 „ divinitas Cœlestis hujus Sacramenti  
 „ viro

Sæcul. XVI. „viro Christiano comperta est, eo dili-  
 A C. 1551. „gentius cavere ille debet, ne absque  
 I. Cor. c. II. „magna reverentia, & Sanctitate ad id  
 v. 28. & 29. „percipiendum accedat, præsertim cum  
 „illa plena formidinis verba apud Apo-  
 „stolum legamus: qui manducat, &  
 „bibit indigne, iudicium sibi mandu-  
 „cat, & bibit, non dijudicans Corpus  
 „Domini: quare communicare volenti  
 „revocandum est in memoriam ejus  
 „præceptum: probet se ipsum homo. Ec-  
 „clesiastica autem consuetudo declarat,  
 „eam probationem necessariam esse, ut  
 „nullus sibi conscius peccati mortalis,  
 „quantumvis sibi contritus videatur,  
 „absque præmissa Sacramentali Confes-  
 „sione ad sacram Evcharistiam accede-  
 „re debeat, quod a Christianis omni-  
 „bus, etiam ab iis Sacerdotibus, qui-  
 „bus ex officio incubuerit celebrare,  
 „hæc Sancta Synodus perpetuo servan-  
 „dum esse decrevit, modo non desit il-  
 „lis copia Confessoris; quodsi necessita-  
 „te urgente, Sacerdos absque prævia  
 „confessione celebraverit, quam pri-  
 „mum confiteatur.

§. XXV.

## C A P U T VIII.

*De modo recipiendi hoc Sacramentum.*  
 „Quoad usum autem, recte, & sa-  
 „pienter Patres nostri tres ratio-  
 „nes

nes hoc sanctum Sacramentum acci-  
piendi distinxerunt: quosdam enim do-  
cuerunt Sacramentaliter duntaxat id  
sumere, ut peccatores: alios tantum  
spiritualiter, illos nimirum, qui vo-  
to propositum illum cœlestem pa-  
nem edentes, fide viva, quæ per di-  
lectionem operatur, fructum ejus, &  
utilitatem sentiunt: tertios porro sa-  
cramentaliter simul, & spiritualiter:  
hi autem sunt, qui ita se prius pro-  
bant, & instruunt, ut vestem nuptia-  
lem induti ad divinam hanc mensam  
accedant: in Sacramentali autem  
sumptione semper in Ecclesia Dei mos  
fuit, ut laici a Sacerdotibus commu-  
nionem acciperent: Sacerdotes autem  
celebrantes se ipsos communicent; qui  
mos tanquam ex traditione Apostoli-  
ca descendens, jure, ac merito reti-  
neri debet. Demum autem paterno  
affectu admonet Sancta Synodus,  
hortatur, rogat, & obsecrat per vis-  
cera misericordiæ Dei nostri, ut om-  
nes, & singuli, qui Christiano nomi-  
ne censentur, in hoc unitatis signo,  
in hoc vinculo charitatis, in hoc con-  
cordiæ Symbolo jam tandem aliquan-  
do conveniant, & concordent, me-  
moresque tantæ Majestatis, & tara-  
ximii amoris Jesu Christi Domini  
nostri, qui dilectam animam suam in  
nostræ

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

Galat. c. 5.

v. 6.

Hebr. c. 5.

v. 7.

Sæc. XVI. „nostræ salutis pretium, & carnem  
 A.C. 1551. „suam nobis dedit ad manducandum;  
 „hæc sacra mysteria Corporis, & San-  
 „guinis ejus, fidei constantia, & firmi-  
 „tate, ea animi devotione, ac pietate,  
 „& cultu credant, & venerentur, ut  
 „panem illum supersubstantialem fre-  
 „quenter suscipere possint, & is vere  
 „eis sit animæ vita, & perpetua San-  
 „ctitas mentis; cujus vigore confortati  
 „ex hujus miseræ peregrinationis iti-  
 „nere ad cœlestem patriam pervenire  
 „valeant, eundem panem Angelorum,  
 „quem modo sub sacris velaminibus e-  
 „dunt, absque ullo velamine mandu-  
 „caturi. Quoniam autem non est fa-  
 „tis, veritatem dicere, nisi detegan-  
 „tur, & refellantur errores; placuit  
 „Sanctæ Synodo hos Canones subjun-  
 „gere, ut omnes jam agnita Catholi-  
 „ca Doctrina, intelligant quoque, quæ  
 „ab illis hæreses caveri, vitarique de-  
 „beant.

## §. XXVI.

*Canones de Sacrosancto Eucharistia  
 Sacramento.*

## C A N O N I.

*Labbe Col-  
 lecti Conc.  
 tom. 14. p.  
 808.*

„Si quis negaverit, in Sanctissimæ Ev-  
 „charistiæ Sacramento contineri  
 „vere, realiter, & substantialiter Cor-  
 „pus,

pus, & Sanguinem, una cum anima, & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
*Pallav. l. 12. c. 2. n. 1.*  
*Raynold. ad hunc ann. n. 50.*

CANON II.

Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, una cum Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius Substantiæ vini in Sanguinem manentibus duntaxat Speciebus panis, & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat; anathema sit.

CANON III.

Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujuscunque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus, & Sanguinem



Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

„quinem Domini nostri Jesu Christi,  
„sed tantum in usu, dum sumitur, non  
„autem ante, vel post, & in hostiis,  
„seu particulis consecratis, quæ post  
„Communionem reservantur, vel su-  
„persunt, non remanere verum Cor-  
„pus Domini, anathema sit.

## C A N O N V.

„Si quis dixerit, vel præcipuum fru-  
„ctum Sanctissimæ Evcharistiæ esse  
„remissionem peccatorum, vel ex ea  
„non alios effectus provenire; anathe-  
„ma sit.

## C A N O N VI.

„Si quis dixerit, in sancto Evchari-  
„sticæ Sacramento Christum Unige-  
„nitum Dei Filium non esse cultu la-  
„tricæ, etiam externo, adorandum,  
„atque ideo, nec festiva peculiari ce-  
„lebritate venerandum, neque in Pro-  
„cessionibus, secundum laudabilem,  
„& universalem Ecclesiæ Sanctæ ri-  
„tum, & consuetudinem, solemniter  
„circumgestandum, vel non publice,  
„ut adoretur, populo proponendum,  
„& ejus adoratores esse idololatrias; ana-  
„thema sit.

## C A N O N VII.

„Si quis dixerit, non licere Sacram-  
„Evcharistiam in Sacratio reservari,  
„sed

sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam : aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur ; anathema sit.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, Spiritualiter tantum manducari, & non etiam Sacramentaliter, ac realiter ; anathema sit.

CANON IX.

Si quis negaverit, omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ ; anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare ; anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur ; statuit, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia

*Hist. Eccles. Tom. XLI.*

D

tia

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

„tia peccati mortalis gravat, quantum  
„que etiam se contritos existiment, ha-  
„bita copia Confessoris, necessario præ-  
„mittendam esse Confessionem Sacra-  
„mentalem. Si quis autem contra-  
„rium docere, prædicare, vel perti-  
„naciter asserere, seu etiam publice di-  
„sputando defendere præsumperit, eo  
„ipso excommunicatus existat.

§. XXVII.

CAPUT I.

*De Decreto reformationis.*

**H**i canones cum essent propositi, præ-  
legebatur reformationis Decretum,  
quod plures continebat leges in octo ca-  
pita distinctas.

CAPUT I.

*A Sententiis interlocutoriis appellari  
prohibitum.*

*De forma, qua Episcopi se in Jurisdic-  
tionis suæ exercitio gerere debent, necnon de  
interdicto ab eorum sententiis interlocuto-  
riis in certis quibusdam casibus appellandi.*

„Eadem Sacrosancta Tridentina Sy-  
„nodus, præsentibus in ea eis-  
„dem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato,  
„& Nuntiis, intendens nonnulla statue-  
„re, quæ ad jurisdictionem pertinent  
„Episcoporum, & juxta proximæ Ses-  
„sionis decretum, illi in commissis sibi

„Ee-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

„Ecclesiis eo libentius resideant, quo  
 „facilius, & commodius sibi subjectos  
 „regere, & in vitæ, ac morum hone-  
 „state continere potuerint: illud pri-  
 „mum eos admonendos censet, ut se  
 „Pastores, non percussores esse memi-  
 „nerint, atque ita præesse sibi subditis  
 „oportere, ut non in eis dominantur,  
 „sed illos tanquam filios, & fratres di-  
 „ligant, elaborentque, ut hortando,  
 „& monendo ab illicitis deterreant, ne,  
 „ubi deliquerint, debitis eos pœnis co-  
 „ercere cogantur. Quos tamen, si quid  
 „per humanam fragilitatem peccare  
 „contigerit, illa Apostoli est ab eis ser-  
 „vanda præceptio, ut illos arguant,  
 „obsecrent, increpent in omni bonita-  
 „te, & patientia: cum sæpe plus erga  
 „corrigendos agat benevolentia, quam  
 „austeritas, plus exhortatio, quam  
 „comminatio, plus charitas, quam po-  
 „testas. Sin autem ob delicti gravita-  
 „tem virga opus fuerit, tunc cum man-  
 „suetudine rigor, cum misericordia ju-  
 „dicium, cum lenitate severitas adhi-  
 „benda est; ut sine asperitate discipli-  
 „na populi salutaris, ac necessaria con-  
 „servetur, & qui correpti fuerint, e-  
 „mendentur; aut si resipiscere nolue-  
 „rint, cæteri salubri in eos animad-  
 „versionis exemplo, a vitiis deterrean-  
 „tur: cum sit diligentis, & pii simul

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

„pastoris officium, morbis ovium levia  
 „primum adhibere fomenta ; post ubi  
 „morbi gravitas ita postulet, ad acro-  
 „ra, & graviora remedia descendere:  
 „sin autem ne ea quidem proficiant illis  
 „submovendis, cæteras saltem oves a  
 „contagionis periculo liberare : Cum  
 „igitur rei criminum plerumque ad evi-  
 „tandas pœnas, & Episcoporum sub-  
 „terfugienda judicia, querelas, & gra-  
 „vamina simulent, & appellationis  
 „diffugio judicis processum impediunt,  
 „ne remedio ad innocentiae præsidium  
 „instituto, ad iniquitatis defensionem  
 „abutantur, atque ut hujusmodi eorum  
 „calliditati, & tergiversationi occur-  
 „ratur, ita statuit, & decrevit : In  
 „caussis visitationis, & correctionis, si-  
 „ve habilitatis, & inhabilitatis, nec  
 „non criminalibus, ab Episcopo, seu  
 „illius in spiritualibus Vicario generali,  
 „ante definitivam sententiam, ab inter-  
 „locutoria, vel alio quocunque grava-  
 „mine non appelletur : nec Episcopus,  
 „seu Vicarius appellationi hujusmodi  
 „tanquam frivolæ deferre teneatur,  
 „sed ea quacunque inhibitione ab ap-  
 „pellationis judice emanata, nec non  
 „omni stylo, & consuetudine, etiam  
 „immemorabili contraria non obstante,  
 „ad ulteriora valeat procedere, nisi  
 „gravamen hujusmodi per definitivam  
 „Sen-

„Sententiam reparari, vel ab ipsa de-  
 „finitiva appellari non possit: quibus  
 „casibus Sacrorum, & antiquorum Ca-  
 „nonum statuta illibata persistant.

§. XXVIII.

CAPUT II.

*De appellationibus a Sententia Episcoporum.*

*Ad quosnam Appellationis causæ in criminalibus a Sententia Episcopi devolvantur?*

„A sententia Episcopi, vel ipsius in  
 „Spiritualibus Vicarii generalis, in  
 „criminalibus appellationis causæ, ubi  
 „appellationi locus fuerit, si Apostoli-  
 „ca auctoritate in partibus eam committi  
 „contigerit, Metropolitanæ, seu illius  
 „etiam Vicario in Spiritualibus gene-  
 „rali, aut, si ille aliqua de causæ su-  
 „spectus foret, vel ultra duas legales  
 „diætas distet, seu ab ipso appellatum  
 „fuerit, uni ex vicinioribus Episcopis,  
 „seu illorum Vicariis, non autem infe-  
 „rioribus iudicibus committatur.

§. XXIX.

CAPUT III.

*Acta primæ instantiæ intra triginta dies dentur gratis reo appellanti.*

„Reus ab Episcopo, aut ejus Vica-  
 „rio in spiritualibus generali, in  
 D 3 „cri-

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

Sæcul. XVI., criminali caussa appellans, coram ju-  
A.C. 1551. dice, ad quem appellavit, acta primæ  
 instantiæ omnino producat, & Judex,  
 nisi illis visis, ad ejus absolutionem  
 minime procedat. Is autem, a quo  
 appellatum fuerit, intra trigiuta dies  
 acta ipsa postulanti gratis exhibeat:  
 alioqui absque illis caussa appellatio-  
 nis hujusmodi, prout justitia suaserit,  
 terminetur.

§. XXX.

C A P U T IV.

*De depositione, & degradatione Ec-  
 clestasticorum.*

*Qua ratione Episcopi ad depositionem, &  
 degradationem Ecclesiasticorum procedere  
 debeant?*

Cum vero tam gravia nonnunquam  
 sint delicta, ab Ecclesiasticis com-  
 missa personis, ut ob eorum atrocita-  
 tem e sacris Ordinibus deponendæ,  
 & Curiæ sint tradendæ sæculari, in  
 quo secundum sacros Canones certus  
 Episcoporum numerus requiritur:  
 quos si omnes adhibere difficile esset,  
 debita juris executio differretur; si  
 quando autem intervenire possent,  
 eorum residentia intermitteretur, prop-  
 terea statuit, & decrevit Episcopo per  
 se, seu illius Vicarium in spirituali-  
 bus generalem, contra clericum, in  
 sa-

„sacris etiam Presbyteratus Ordinibus Sæcul. XVI.  
 „constitutum, etiam ad illius condem- A.C. 1551.  
 „nationem, nec non verbalem deposi-  
 „tionem, & per se ipsum etiam ad ac-  
 „tuali, atque solemnem degradatio-  
 „nem ab ipsis Ordinibus, & gradibus  
 „Ecclesiasticis, in casibus, in quibus  
 „aliorum Episcoporum præsentia, in  
 „numero a Canonibus definito, requi-  
 „ritur, etiam absque illis procedere li-  
 „ceat: adhibitis tamen & in hoc sibi  
 „assistentibus totidem Abbatibus, usum  
 „mitræ, & baculi ex privilegio Apo-  
 „stolico habentibus, si in civitate aut  
 „diœcesi reperiri, & commode interes-  
 „se possint, alioquin aliis personis in  
 „Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ  
 „ætate graves, ac juris scientia com-  
 „mendabiles existant.

## §. XXXI.

## CAPUT. V.

*Episcopis competit cognoscere de gra-  
tiis concessis.*

*Episcopus summarie cognoscat de gratiis  
obtentis pro absolutione criminum publi-  
corum, vel remissione pœnarum ab illo  
impositarum.*

„Quoniam per fictas causas, quæ ta-  
 „men satis probabiles videntur, in-  
 „terdum accidit, ut nonnulli ejusmo-  
 „di gratias extorqueant, per quas pœ-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

„næ illis Episcoporum iusta severitate in-  
„flictæ, aut remittuntur omnino, aut mi-  
„nuuntur; cum non ferendum sit, ut men-  
„dacium, quod tantopere Deo displicet,  
„non modo ipsum impunitum sit, verum  
„etiam alterius delicti veniam impetret  
„mentienti; idcirco, ut sequitur, sta-  
„tuit, & decrevit: Episcopus apud Ec-  
„clesiam suam residens, de surreptione,  
„& obreptione gratiæ, quæ super ab-  
„solutione alicujus publici criminis, vel  
„delicti, de quo ipse inquirere coeperat,  
„aut remissione pœnæ, ad quam crimi-  
„nosus per eum condemnatus fuerit,  
„falsis precibus impetratur, per se ip-  
„sum tanquam Sedis Apostolicæ dele-  
„gatus, etiam summarie cognoscat,  
„ipsamque gratiam, postquam per falsi  
„narrationem, aut veri taciturnitatem  
„obtentam esse legitime constiterit, non  
„admittat.

§. XXXII.

C A P U T. VI.

*De cognitione causarum criminalium  
contra Episcopos.*

*Episcopus nequaquam moneatur, aut cite-  
tur, ut personaliter compareat, nisi ob  
causam, ex qua deponendus, aut privan-  
dus veniret.*

„Cum autem subditi Episcopo, tamet-  
„si jure correpti fuerint, magno-  
„pere

„pere tamen eum odisse, & tanquam Sæcul. XVI.  
 „injuria affecti sint, falsa illi crimina A. C. 1551.  
 „obiicere solent, ut, quoquo pacto pos-  
 „sint, ei molestiam exhibeant, cujus  
 „vexationis timor plerumque illum ad  
 „inquirenda, & punienda eorum deli-  
 „cta segniorem reddit: idcirco, ne is  
 „magno suo, & Ecclesiæ incommodo  
 „gregem sibi creditum relinquere, ac  
 „non sine Episcopalis dignitatis dimi-  
 „nutione vagari cogatur, ita statuit, &  
 „decrevit: Episcopus nisi ob causam,  
 „ex qua deponendus, sive privandus  
 „veniret, etiam si ex officio, aut per  
 „inquisitionem, seu denuntiationem,  
 „vel accusationem, sive alio quovis  
 „modo procedatur, ut personaliter com-  
 „pareat, nequaquam citetur, vel mo-  
 „neatur.

## §. XXXIII.

## CAPUT VII.

*Quales testes sint idonei contra Episcopos.*

„Testes in causa criminali ad informatio-  
 „nem, vel judicia seu alias in causa  
 „principali contra Episcopum, nisi conte-  
 „stes, & bonæ conversationis, existimatio-  
 „nis, & sanctæ fuerint, non recipiantur;  
 „Et si odio, temeritate, aut cupiditate ali-  
 „quid deposuerint, gravibus pœnis mulden-  
 „tur.

D 5

§. XXXIV.

Sæc. XVI.

A C. 1551.

§. XXXIV.

CAPUT VIII.

*Solus Pontifex contra Episcopos in  
caussis gravioribus cognoscere debet.*

„Causæ Episcoporum, cum pro cri-  
„minis objecti qualitate comparere  
„debeant, coram Pontifice Maximo re-  
„ferantur, ac per ipsum terminentur.

§. XXXV.

*Decretum de prorogandis definitioni-  
bus aliorum articulorum circa Eu-  
charistiam.*

*Labbe p. 812.  
Pallav. l. 12.  
c. 8. n. 2. & 3.*

Postquam octo hæc reformationis ca-  
pita fuere promulgata, Synodus de-  
cretum condidit, vi cujus decisio qua-  
tuor articulorum circa Sacramentum  
Eucharistiæ, nec non modus concipi-  
endi publicæ securitatis literas Prote-  
stantibus dandas prorogatus fuit. Hoc  
decretum his erat conceptum ver-  
bis: *Eadem sancta Synodus errores om-  
nes, qui super hoc sanctissimo Sacramen-  
to repullularunt, tanquam vepres ex agro  
Dominico evellere, ac omnium fidelium Sa-  
luti prospicere cupiens, quotidianis preci-  
bus Deo omnipotenti pie oblatis inter alios,  
ad hoc Sacramentum pertinentes articulos,  
diligentissima veritatis Catholicæ inquisitio-  
ne tractatos, plurimis, accuratissimisque*

pro

pro rerum gravitate dispositionibus habitis, Sæc. XVI.  
 cognitis quoque præstantissimorum Theolo- A.C. 1551.  
 gorum Sententiis, hos etiam tractabat: an  
 necessarium sit ad Salutem, & divino jure  
 præceptum, ut singuli Christi fideles sub ut-  
 raque Specie ipsum Venerabile Sacramen-  
 tum accipiant. Et num minus sumat, qui  
 sub altera, quam qui sub utraque Specie  
 communicat. Et an erraverit Sancta Ma-  
 ter Ecclesia, laicos & non celebrantes Sa-  
 cerdotes, sub panis specie duntaxat commu-  
 nicando. Et, an parvuli etiam communi-  
 candi sint. Sed quoniam ex nobilissima Ger-  
 manicæ Provincia ii, qui se protestantes no-  
 minant, super his ipsis articulis, antequam  
 definiantur, audiri a Sancta Synodo cupi-  
 unt, & eam ob causam fidem publicam ab  
 illa postularunt, & ipsis tuto huc venire, &  
 in hac urbe commorari, ac libere coram Sy-  
 nodo dicere, atque proponere, quæ senserint,  
 & postea, cum libuerit, recedere li-  
 ceat; Sancta ipsa Synodus, licet magno  
 desiderio eorum adventum multos antea men-  
 ses expectarit, tamen, ut pia Mater, quæ  
 ingemiscit, & parturit, summopere id de-  
 siderans, ac laborans, ut in iis, qui chri-  
 stiano nomine censentur, nulla sint schisma-  
 ta, & quemadmodum eundem omnes Deum,  
 & Redemptorem agnoscunt, ita idem di-  
 cant, idem credant, idem sapiant; confi-  
 dens Dei misericordia, & sperans fore, ut  
 illi in Sanctissimam, & salutarem unius  
 fidei,

Sæcul. XVI  
A.C. 1551

fidei, Spei, charitatisque concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, securitatem & fidem, ut petierunt, publicam, quam saluum conductum vocant, quoad se pertinet, ejus, qui infra scriptus erit, tenoris, dedit, atque concessit, & eorum causa definitionem illorum articulorum ad secundam Sessionem distulit; quam, ut illi commode interesse possent, in diem festum conversionis divi Pauli, quæ erit vigesima quinta die mensis Januarii, anni sequentis, indicit, illudque præterea statuit, ut in eadem Sessione de Sacrificio Missæ agatur, propter magnam utriusque rei connexionem: interea Sessione proxima de Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis Sacramentis tractandum. Illam autem die festo divæ Catharinæ Virginis & Martyris, qui erit vigesima quinta Novembris, habendam esse decrevit, simulque ut in utraque materiam reformationis prosequatur.

## §. XXXVI.

*Norma publicæ cautionis Protestantibus concedendæ.*

*Labbe p. 813. Postea Synodus præscripsit formulam, Pall. l. c. n. 3. juxta quam Protestantibus publicæ Sleidan l. 22. securitatis literæ darentur. Earum autem sequens erat tenor: Sacrosancta generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Pfalmaus in Sancto legitime congregata, præsidentibus att. Conc. in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato Trid. p. 242.*

to, & Nuntiis, omnibus, & singulis, si-  
 ve sæcularibus personis universæ Germa-  
 niæ, cujuscunque gradus, Status, condi-  
 tionis, & qualitatis sint, quæ ad œcume-  
 nicum hoc, & generale Concilium accedere  
 voluerint, ut de iis rebus, quæ in ipsa Sy-  
 nodo tractari debent, omni libertate confer-  
 re, proponere, & tractare, ac ad ipsum  
 œcumenicum Concilium libere, & tuto veni-  
 re, & in eo manere, & commorari, ac  
 articulos, quot illis videbitur, tam Scrip-  
 to, quam verbo, offerre, proponere, &  
 cum patribus sive iis, qui ab ipsa Sancta  
 Synodo delecti fuerint, conferre, & abs-  
 que ullis convitiis, & contumeliis disputa-  
 re, nec non quando illis placuerit, recedere  
 possint, & valeant, publicam fidem, &  
 plenam securitatem, quam saluum conduc-  
 tum appellant, cum omnibus, & singulis  
 clausulis, & decretis necessariis, & oppor-  
 tunis, etiamsi specialiter, & non per verba  
 generalia exprimi deberent, quæ pro expres-  
 sis haberi voluit, quantum ad ipsam Sanc-  
 tam Synodum spectat, concedit. Placuit  
 præterea Sanctæ Synodo, ut, si pro ma-  
 jori libertate, ac securitate eorum, certos  
 tam pro commissis, quam pro committen-  
 dis per eos delictis judices eis deputari cu-  
 piant, illos sibi benevolos nominent, etiam-  
 si delicta ipsa quantumcunque enormia, ac  
 hæresim sapientia fuerint.

§. XXXVII.

Sæcul. XVI  
 A.C. 1551.

Sæc. XVI.

§. XXXVII.

A.C. 1551.

*Electoris Brandenburgici Oratores ad  
Synodum delati.**Pallav. l. 12.  
c. 9. n. 2. &**3.  
Sleid. l. 23.  
p. 828.**Thuan. l. 8.  
n. 4.**Rayn. hoc  
ann. n. 24.*

Perlectis cunctis hisce decretis, postea recitabatur mandatum Christophori Strassen Jurisconsulti, & Joannis Hoffmani, qui ambo Oratores erant a Joachimo Electore Brandenburgico ad Synodum ablegati. Hæc mandata inscripta erant. *Sanctissimo in Christo Patri, & Domino Domino Julio tertio, favore divinæ Clementiæ Summo Pontifici, Sacrosanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ Domino nostro gratiosissimo.*

In hisce mandatis S. R. J. Elector summo Pontifici omnia *obsequia, & servitia* pollicebatur, ex quo manifeste elucet, quod Joachimus, quamvis ex Protestantibus esset, nihilominus Pontificem tanquam supremum Ecclesiæ caput fuerit veneratus, eique sese subicere, necnon Synodum Tridentinam velut legitimam, atque Oecumenicam agnoscere sit pollicitus. Quinimo oratio, quam primus illius Orator Christophorus Strassen pronuntiaverat, eo unice collimare videbatur, ut Synodi Patribus pia voluntas, ac submissio, quam Elector illius Dominus erga eosdem profitebatur, manifesta fieret, seque eorum decretis submittere paratus esset.

effet. Hoc Electoris studium summa Sæcul. XVI.  
 prorsus lætitia Patres affecerat, unde ei- A. C. 1551.  
 dem per Concilii Promotorem hæc in  
 responsis dabant: „Ingenti cum volup-  
 „tate sermonem hunc percepimus, ni-  
 „hil vero magis nos consolatur, nisi  
 „quod de pia Electoris voluntate cer-  
 „tiores facti simus, nobisque fides fue-  
 „rit facta, quod idem Synodi decreta  
 „sincere, ac religiose observare para-  
 „tus sit, prout sane Christianum Prin-  
 „cipem, ac filium Ecclesiæ Catholicæ  
 „addictum decet: unde speramus, quod  
 „Elector promissis suis integra fide stare  
 „haud prætermisurus sit, Verum  
 hæc Electoris Brandenburgici submissio  
 variæ diversorum interpretationi obno-  
 xia erat, quippe Protestantes divulga-  
 re non abhorrebant, quod præclara hæc  
 obedientiæ, atque affectus erga Syno-  
 dum testimonia unice privatæ utilitati  
 fuerint innixa, eoquod Elector Ponti-  
 ficis auxilio indiguisset, ut Fridericus  
 ejus Filius quiete frui posset Magdebur-  
 gensi Archiepiscopatu, ad quem ille  
 post Joannis Alberti obitum a Canoni-  
 cis electus fuerat. Equidem hæc dig-  
 nitas erat amplissima, ac proventuum  
 ubertate longe celeberrima: verum  
 summus Pontifex huic nominationi con-  
 stanter sese opponebat, nec unquam  
 confirmationis diploma concedere vole-  
 bat,



Sæcul. XVI. bat, eo quod Electorem de hæresi su-  
 A.C. 1551. spectum haberet: in quo sane sua eum  
 opinio minime fefellit. (\*)

## §. XXXVIII.

*Synodi responsum ad Franciæ Regis  
 oppositionem.*

Pallav. l. 12. Cum Synodi Patres Jacobum Amio-  
 c. 9. n. 7. tum Bellosanensem Abbatem adese  
 Psalmæus se iussissent, ut responsum ad Galliarum  
 p. 243. Regis Domini sui oppositionem, seu ut  
 vocant, protestationem eidem trade-  
 rent: eapropter tandem hanc in rem  
 convenerant, & primo fecialis ad Eccle-  
 siæ portam interrogare jubebatur, num  
 aliquis nomine Regis Christianissimi ad-  
 esset? eo autem referente, quod nec  
 Abbas, nec alius quisquam hujus Re-  
 gis nomine comparuisset, Patres nihil-  
 ominus sequens responsum prælegi, ac  
 promulgari præceperunt. Erat autem  
 illud hanc in sententiam conceptum:  
 „Mirum in modum gavisa fuit Synodus  
 „in præterita Sessione, tum ob recen-  
 „tem Episcoporum, Principum, & sep-  
 „temvirorum, qui convenerant, frequen-  
 „tiam, tum ob honorificas legationes  
 „Cæsaris, ac Ferdinandi Regis Fratris  
 „sui

(\*) Sinistram hanc Sleidani ac præcipue  
 Sarpii interpretationem confutat Pallavicinus  
 l. c. 8.

„fui fuorum, regnorum Bohemiæ & Sæcul. XVI.  
„Hungariæ nomine, tum etiam quod A.C. 1551.  
„per literas ex Polonia, & Lusitania  
„nuntiaretur, ab illis pariter religiosif-  
„simis Regibus missionem fuorum Ora-  
„torum parari. Eadem pia Christia-  
„nissimi Regis officia fuit Synodus sibi  
„pollicita, cum enim adeo clarent  
„Gallorum Regum in Ecclesiam Catho-  
„licam merita, & ipse Henricus nihilo  
„minor suis Majoribus haberetur seu  
„pietate in Deum, seu studio Religio-  
„nis, seu animi magnitudine; spes  
„erat, eum tutelæ firmissimæ illi Con-  
„cilio futurum: sed cum iti Regis nun-  
„tius adfisset cum ipsius literis, ac  
„libello, ab eorum tenore gravis mo-  
„lestia, ac sollicitudo fuit Patribus in-  
„cussa; non quod ea plurimum reveren-  
„tiæ erga sacrum illum Conventum  
„non continerent, sed quia difficultas  
„inde obiici visa est, unde auxilium  
„sperabatur. Verum, etsi propter  
„quasdam causas, pravasque opiniones  
„Regis animus exulceratus appareat;  
„non tamen idcirco abiicitur a Synodo  
„spes, quam in Deo, Oecumenicarum  
„Synodorum Summo Præsede, & in  
„suarum actionum, animorum, finium-  
„que conscientia collocat, ab ipso Re-  
„ge perpensis iis, quæ ipsius dignitas  
„postulat, & quorum Christiana res-  
*Hist. Eccles. Tom. XLI.* E „publica

Sæcul. XVI. „publica indiget, amantissimas Patrum  
A.C. 1551. „cohortationes minus rectis aliorum  
 „consiliis prælatum iri.

Postea ampla necessitas exponebatur, quæ ad celebrandam Synodum urgebat Ecclesiam: Patres, ita prosequeretur Synodus, convenerunt, non ut commodis alicujus terreni Principis servirent, sed omnium Principum Principis, qui Christus est. Id palam fit ex præteritis ipsorum Actis, idemque confirmandum ex futuris. Neque fieri potest, ut, cum Rex per eam honoris, existimationisque significationem ad ipsos scriberet, suspicarentur tam indignam de ipsis opinionem ab eo concipi. De bello Parmensi minime dubitat Synodus, quin Pontifex optimam suorum Consiliorum rationem sit redditurus, quoad ipsos pertinet, nihil ipsis optatius est, quam tranquillitas, atque concordia: sed ob peculiarem controversiam, publicum tanti momenti bonum minime præpediendum censent, cum Episcopi, qui Concilium adituri erant, nec ad arma tractanda, nec ad bellum gerendum essent idonei, ac viæ pariter tutæ pariterent, atque in ea Urbe cuncti quietè plurima fruerebantur, hinc merito suspicari Galli non possunt, quod ibi non in dicenda sententia plenam habituri essent  
 „liber

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

„libertatem, quando quidem comper-  
 „tum est, consensisse Patres, ut pri-  
 „vato Regis Nuntio liceret, quidquid  
 „sibi libuisset exponere, cunctis patien-  
 „ter, intenteque audientibus. Quod  
 „si Galliæ Antistites (quod minime  
 „credendum est) suo deessent officio  
 „per absentiam rationi dissentaneam,  
 „non ideo Concilio dignitas, auctori-  
 „tasque Oecumenici defutura erit, nam  
 „fuit illic primo legitime coactum, de-  
 „inde legitime repositum: Ecclesia  
 „Christi, instar ejusdem tunicæ incon-  
 „futilis, una, atque individua est.  
 „Quod autem ad eam partem spectat,  
 „in qua minitatur Rex, quædam reme-  
 „dia se adhibiturum, a suis majoribus  
 „usurpata: Synodus sibi persuadere non  
 „potest, ea esse illius intima animi sen-  
 „sa, ut ipse, quod ob validissimas caus-  
 „sas inclyti ejus decessores abstulerant,  
 „velit renovare cum tanta Ecclesiæ per-  
 „turbatione, cum tam foeda sui nomi-  
 „nis macula, cum jactura beneficiorum  
 „omnium, quæ Majores ipsius & ipse  
 „pariter acceperant tam copiose, & a  
 „Superioribus, & ab vivente Pontifice.  
 „Par est, ut Rex animo recolat, si a  
 „quovis mortalium, quæcunque is a-  
 „gat, communi utilitati sunt confor-  
 „manda, longe arctius ea obligatione  
 „teneantur Principes; quippe qui con-  
 „stituti

Sæcul. XVI., stituti a Deo in tam celso gradu non  
A.C. 1551. „ad privatam ipforum, sed ad publi-  
 „cam omnium utilitatem Demum ad-  
 monebantur Episcopi Galliæ officii sui  
 erga Summum Pastorem, qui Conci-  
 lium indixit, necnon erga collegas  
 suos, a quibus eo invitabantur. Per-  
 lecto hoc responso Sessioni finis impo-  
 nebatur.

## §. XXXIX.

*Protestantes de Synodi decretis, ac  
 securitatis literis conquesti.*

*Sarpinus  
 Conc. Trid.  
 l. 4. p. 32.  
 Pallav. hist.  
 Conc. l. 12.  
 p. 8. n. 4.*

Postquam hujus Sessionis decreta æ-  
 que, ac promissæ securitatis tabu-  
 læ per Germaniam evulgabantur, ho-  
 rum neutrum Protestantibus placebat,  
 qui illud pro more suo cachinis exci-  
 piebant. Præprimis illis, qui per-  
 ceperunt se a Synodo postulasse, ut  
 de quatuor tantum articulis audiantur,  
 res prorsus mira videbatur, quempiam  
 ipforum nomine tale quidquam deside-  
 rare, cum illi in publicis Ordinum Ger-  
 manicæ Conventibus, tum scriptis qua-  
 quaversum sparsis, toties professi sint,  
 quod omnium controversiarum discep-  
 tationem requirerent, neque quidquam  
 eorum, quæ Tridenti definita erant, ad-  
 mitterent, sed ad incudem denuo revo-  
 canda censerent. Verum risibus explo-  
 dendæ erant illorum querelæ; quippe  
 Pau-

Paulus III. & ejus Successor toties, Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
necnon oretenus, & calamo, datis ad  
Cæsarem literis palam contestati sunt,  
quod articulos jamjam definitos in du-  
bium vocari nullo pacto admittere pos-  
sint: cum id perinde esset, ac si hæreti-  
cis concederent, quod Ecclesia fallere  
posset, & proin hac indulgentia hære-  
ticorum erroribus Pontifices suffragar-  
entur. Præterea post hanc summorum  
Pontificum declarationem etiam Cæsar,  
Ecclesiastici, ac Principes in comitiis  
congregati summis precibus Synodi  
Patres sollicitabant, promittebantque,  
quod universa Germania sese Concilii  
decretis esset submissura: qua enim ra-  
tione Cæsar, ac Ferdinandus ejus Fra-  
ter suos Oratores, atque Episcopos ad  
Synodum ablegassent, si quatuor arti-  
culorum examen prorogandum postu-  
lantes existimassent, quod rursus ea,  
quæ sub Paulo III. fuere decisa, exa-  
mini subjicere oporteret?

Insuper de ipsis etiam promissæ se-  
curitatis literis querebantur, caussati,  
illas esse verbis captiosis conceptas: alii  
vero dicebant, quod nullo potestatis  
legitimæ signo, nulloque publico sigil-  
lo essent munitæ, ac insuper scriptæ sub  
alia verborum forma, nec exarratæ ad  
tenorem illarum literarum, quas olim  
Bohemis concesserant Patres Basileen-  
ses,

Sæcul. XVI  
A.C. 1551.

ses, minus vero juxta illam formulam, secundum quam Mauritius Elector profactionis suæ Sociis ejusmodi literas petierant. Non deerant alii, qui asserebant, concessam cautionem nil aliud continere, nisi quod promiscue omnibus Germanis Synodum accedere, ibi proponere, conferre, & de rebus ibidem agitatis tam in pleno Patrum Senatu, quam per deputatos, ore tenus, vel calamo, dummodo id fiat absque tumultu, & injuriis, agere permissum sit, nec non ipsis integrum sit, libere redire, & quancumque ipsis placuerit, ad sua reverti. Denique querebantur de hac clausula: *quantum ad ipsam Synodum spectat*; quam Synodus studiose bina vice decreto inseruit: Cavillabantur igitur Protestantes, quod hæc clausula dolose a Synodo fuerit adinventata, ut semper locus daretur Pontifici, salvo Concilii honore, & absque ullo Patrum potestati derogandi periculo cuncta pro suo arbitrio tentandi, quæcunque suis commodis, ac Synodi utilitati congrua existimabit. Verum Protestantes non nisi iniquissimo animo de hac clausula querebantur, eo quod eam actis publicis inferi, universalis consuetudo ferat. (\*)

§. XL

(\*) Pflamæus loc. cit. hæc addit, *Cavillatio hic est hæretici sibi mala conscii.*

§. XL.

Sæcul. XVI.

A. C. 1551.

*Sequentis Sessionis materiæ in quadam  
Congregatione examinatae.*

Cum proxima Sessio ad diem vigesimam quintam Novembris fuisset indicta, omne temporis intervallum usque ad præstitutam diem in examinandis, ac instruendis materiis ibidem agitantibus infumebatur: Itaque die duodecima Octobris, quæ erat altera post decimam tertiam Sessionem dies, generalis habebatur Congregatio, in qua Legatus querebatur, quod Theologi ordinem pro habendis disputationibus præscriptum minus accurate servassent, indeque nonnullæ dissensiones fuissent exortæ: postea de pœnitentiæ, atque extremæ unctiõnis Sacramentis agendum proponebat: igitur totum hoc argumentum ad sexdecim reducebatur articulos, quorum duodecim circa primum hoc Sacramentum, quatuor vero circa alterum versabantur, iique hi articuli diversis tradebantur Theologis, quos inter haud infimus erat Veronensis Episcopus. Eadem quoque forma servabatur circa materias disciplinam, seu morum emendationem concernentes, monebantur tamen Præsules, ac theologi, ut in suis sententiis brevitati studerent, nec pertinaciter suis opinio-

E 4

nibus



Sæcul. XVI  
A.C. 1551.

nibus in publicis disputationibus insisterent. Percipiamus jam duodecim illos articulos de Pœnitentia ex Lutheri, ejusque Discipulorum libris extractos, circa quos prævie discussos postea in Sessione sententia esset pronuntianda.

## §. XLI.

*Articuli circa Pœnitentiam.*

„I. Pœnitentia non est proprie Sacramentum, ad reconciliationem prorelapsis post Baptismum a Christo institutum, nec recte a Patribus secunda tabula post naufragium appellatur, sed Baptismus vere est ipsum Sacramentum pœnitentiæ.

„II. Non sunt tres pœnitentiæ partes, Contritio, Confessio, & Satisfactio, sed duæ tantum, terrores scilicet incussi conscientiis agnito peccato, & fides concepta ex Evangelio, vel absolute, qua credit quis sibi per Christum esse remissa peccata.

„III. Contritio, quæ paratur per discussionem, collectio, & detestatio peccatorum, non præparant ad gratiam Dei, nec remittunt peccata, sed potius faciunt hominem hypocritam, & magis peccatorem, eaque contritio dolor est coactus, & non liber.

„IV. Confessio Sacramentalis secreta juris divini non est, nec apud antiquos Patres ante Concilium Lateranense.

„ranense facta fuit mentio, sed publica  
 „tantum poenitentia. Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.

„V. Enumeratio peccatorum in  
 „Confessione non est necessaria ad illo-  
 „rum remissionem, sed libera, & tan-  
 „tum hac ætate utilis ad erudiendum  
 „poenitentem, & consolandum, & olim  
 „fuit ad satisfactionem Canonicam im-  
 „ponenda: nec necessarium est, confi-  
 „teri omnia peccata mortalia, utpote  
 „occulta, & quæ sunt contra ultima  
 „duo decalogi præcepta, sed neque ul-  
 „læ circumstantiæ peccatorum, quas  
 „homines otiosi excogitarunt, velleque  
 „omnia confiteri, est, nihil relinquere  
 „divinæ misericordiæ ignoscendum; imo  
 „neque licet confiteri venialia.

„VI. Confessio omnium peccatorum,  
 „quam Ecclesia faciendam præcipit, est  
 „impossibilis, traditioque humana, a  
 „piis abolenda, neque confitendum  
 „est tempore quadragesimæ.

„VII. Absolutio Sacerdotis non est  
 „actus Judicialis, sed nudum ministe-  
 „rium pronuntiandi, & declarandi, re-  
 „missa esse peccata confitenti, modo  
 „credat, se esse absolutum, etiamsi non  
 „sit contritus, aut Sacerdos non serio,  
 „sed ex joco absolvat: immo etiam sine  
 „Confessione peccatoris Sacerdos eum  
 „absolvere potest.

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

„VIII. Sacerdotes non habent po-  
 „testatem ligandi, & solvendi, nisi Spi-  
 „ritus Sancti gratia, & charitate sint  
 „præditi. Et non ii soli sunt ministri  
 „absolutionis, sed omnibus, & singulis  
 „Christianis est dictum, quæcunque sol-  
 „veritis super terram, erunt soluta &  
 „in Cælo. Quorum verborum virtute  
 „absolvere possunt peccata, publica qui-  
 „dem per correptionem, si correptus  
 „acquieverit; secreta vero per sponta-  
 „neam Confessionem.

„IX. Absolutionis Minister, etsi con-  
 „tra prohibitionem absolvat, vere ni-  
 „hilominus absolvit a culpa, & coram  
 „Deo: ideo casuum reservatio non im-  
 „pedit absolutionem: nec Episcopi ha-  
 „bent jus eos sibi reservandi, nisi quo-  
 „ad externam poenitentiam.

„X. Tota poena, & culpa simul re-  
 „mittuntur semper a Deo, satisfactio-  
 „que poenitentium non est alia, quam  
 „fides, qua apprehendunt Christum  
 „pro eis satisfecisse, ideoque Satisfac-  
 „tiones Canonicæ quondam, exempli  
 „caussa, vel disciplinæ, vel probandi  
 „fideles causa fuerunt a Patribus insti-  
 „tutæ, & in Concilio Nicæno extortæ,  
 „nunquam autem ad remissionem poenæ

„XI. Optima poenitentia est nova vi-  
 „ta, poenisque temporalibus a Deo in-  
 „flictis minime satisficit, sed neque vo-  
 „luntaria

„luntarie susceptis, ut jejuniis, Ora-<sup>Sæc. XVI.</sup>  
 „tionibus, eleemosynis, & aliis bonis A.C. 1551.  
 „operibus non præceptis a Deo, quæ  
 „supererogationes vocantur.

„XII. Satisfactiones non sunt cul-  
 „tus Dei, sed traditiones hominum,  
 „doctrinam de gratia, & vero Dei cul-  
 „tu, atque ipsum beneficium mortis  
 „Christi obscurantes, & fictiones sunt,  
 „quod virtute clavium æterna supplicia  
 „in pœnas temporales commutentur,  
 „cum illarum non sit munus pœnas im-  
 „ponere, sed absolvere.

§. XLII.

*Articuli de extrema Unctione a Theo-  
 logis examinandi.*

Propositis duodecim hisce articulis se-<sup>Pall. n. 14.</sup>  
 quebantur hi quatuor duntaxat ar-<sup>Et seq.</sup>  
 ticuli de extrema Unctione.

„I. Extrema unctio non est Sacra-  
 „mentum novæ legis a Christo institu-  
 „tum, sed ritus tantum acceptatus a  
 „Patribus, aut figmentum humanum.

II. Extrema Unctio non confert gra-  
 „tiam, neque remissionem peccatorum;  
 „sed neque allevat infirmos, qui olim  
 „per gratiam curationum sanabantur,  
 „atque ideo ea cum primitiva Ecclesia  
 „cessavit, sicut & gratia curationum.

III.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

„III. Extremæ Unctionis ritus, &  
„usus non observatur ab Ecclesia Ro-  
„mana juxta beati Jacobi Apostoli sen-  
„tentiam, ideoque is mutandus est  
„potestque a Christianis absque pecca-  
„to contemni.

„IV. Extremæ Unctionis Minister  
„non est solus Sacerdos, Presbyterique  
„Ecclesiæ, quos beatus Jacobus addu-  
„cendos ad infirmum unguendumhorta-  
„batur, non sunt Sacerdotes ab Epil-  
„copo ordinati, sed ætate Seniores in  
„quavis Communitate.

§. XLIII.

*Monita a Legato Theologis data.*

Pallav. n. 18.  
Pfalmaeus  
pag. 258.

Ceterum fontes, ex quibus decisio-  
num veritas haurienda erat, iidem  
fuerunt, ad quos jam in priori Sessione  
recurrebatur, nimirum Sacræ Literæ,  
Traditiones Apostolicæ, recepta Eccle-  
siæ Concilia, Pontificum decreta, &  
Constitutiones, Sanctorum Patrum sen-  
tentiarum, ac denique universalis Eccle-  
siæ consensus. Legatus cum monita  
superius relata inculcasset, Theologos  
his verbis alloquebatur: „In proferen-  
„dis cujusque sententiis suis servetur  
„Ordo, quapropter Cæsareos Oratores  
„excipient Lovanienses Theologi, quos  
„Regina Hungariæ & Belgii Gubernatrix  
„able-

„ablegabat, suntque Ruardus Tappe-  
 „rus (\*) Cancellarius, & Decanus Lo-  
 „vanienſis præter alios ſeptem Docto-  
 „res (\*\*\*) Hos in dicendi ordine ſe-  
 „quentur Electorum Oratores, ac præ-  
 „primis Adolphi de Schawenburg Ar-  
 „chiepiſcopi Coloniensis Theologi, no-  
 „mine Clampus, & Culperus & poſt  
 „hos Ambroſius Pelargus Ord. S. Do-  
 „minici a Trevirenſi Archiepiſcopo ad  
 „Synodum decretus, quem Joannes de  
 „Iſenburg Trevirenſis Archi Presby-  
 „ter, & Joannes Delphicus Presbyter  
 „ſæcularis præter alios ſeptem Hiſpa-  
 „nos comitabuntur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.

Hoc in loco Pallavicinus mentio-  
 nem facit cujuſdam Macarii, quem  
 Theſſalonicæ Archiepiſcopum fuiſſe  
 ſcribit, verum circa ſedis nomen hallu-  
 cinaffe videtur: nam potius hic erat  
*Heracleenſis* Archiepiſcopus, quem Fa-  
 bianus Columna ablegaverat; hic enim  
 quantumvis ritu latinus eſſet, an-  
 no tamen Domini milleſimo quingente-  
 ſimo quinquageſimo in Patriarcham  
 Conſtantinopolitanum fuit electus. Hic  
 idem Macarius aliquamdiu in eodem  
 diver-

(\*) Hunc Pfalmæus vocat: *Quardum  
 Quaperum.*

(\*\*) Continuator ex incuria omiſit Cæ-  
 ſaris Theologum Melchiorem Canum Ord. S.  
 Dominici.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

diversorio unacum Psalmæo Virodunensi  
si Episcopo morabatur, ab eoque Syno-  
di Patres, priusquam illum ad con-  
fessum inter Archiepiscopos admitte-  
rent, disertam fidei Catholicæ profes-  
sionem exigebant. His ita peractis Pa-  
pæ Legatus ad Theologos dicebat: sin-  
gulis diebus binas habendas esse Con-  
gregationes, in quibus matutino tem-  
pore ab hora sexta usque ad undeci-  
mam, pomeridiano autem a secunda  
usque ad quintam diei horam Synod-  
negotiis incumberetur.

§. XLIV.

*Congregationes pro examinandis ar-  
ticulis in Legati Palatio instituta.*

*Pallav. hist.  
Conc. l. 12.  
c. 10. n. 24.  
Psalmæus p.  
358.*

His Congregationibus solemniori rit-  
u initium dabatur vigesima Octobris  
die, qua in Legati Palatio præfati  
articuli examinandi proponebantur.  
Primo inter Theologos loco Jacobus  
Laineus ex D. Ignatii sociis unus, &  
primus Papæ Theologus sermonem in-  
stituit de primo articulo, ac secundam  
illius partem damnans asseruit: „Sa-  
„cramento esse necessariam pœnitentiam,  
„tiam, timorem, dilectionem, con-  
„tritionem, & absolutionem. Dilec-  
tionem pariter tanquam necessariam  
enumeravit Jacobus Ferrusius Hispa-  
nus, Segoviensis Episcopi Theologus

& per hoc eundem articulum impro- Sæcul XVI  
 „bavit, cauffatus, folis terroribus mi- A.C. 1551.  
 „nime contineri dilectionem, quæ ab-  
 „folute necessaria est, cum Christus pro-  
 „nuntiaverit: *Remittuntur ei peccata mul-*  
 „*ta, quoniam dilexit multum: & dilexit,*  
 „inquit, per præteritum, quia dilectio  
 „remissionem antecessit.

Postea idem Theologus explicans 2. Cor. cap.  
 illa D. Pauli verba: *Tristitia, quæ est se-* 7. v. 10.  
*cundum Deum, operatur pœnitentiam in* Secundum  
*salutem,* adjunxit, quod tristitia, quæ est *Deum dilec-*  
 secundum Deum, non alia sit, nisi ea, *tum.*  
 qua dolemus offendisse Deum, eo quod  
 illum amemus. Porro ab hac eadem  
 dilectione præfatam tristitiam produci  
 inquiebat, hancque in rem allegavit  
 auctoritatem S. Augustini dicentis:  
*Absque amore gratia non datur.* His quo-  
 que addidit, quod præter primam il-  
 lam cordis motionem in Deum adjun-  
 gendus sit actus fidei juxta illa Apосто-  
 li verba: *Accedentem ad Deum oportet*  
*credere & secundum illud: sine fide im-*  
*possibile est placere Deo.* „Hinc oritur,  
 „prosequebatur idem, in homine pecca-  
 „torum detestatio, assurgitque in spem  
 „animus, & amoris initium habetur,  
 „inde vero primam gratiam Deus infun-  
 „dit, qui tamen amor naturalis non est,  
 „sed a divina gratia efficitur, tametsi  
 „natu-



Sæcul. XVI. „naturalis amor ad id etiam conferat,  
 A C. 1551. „tanquam illius fructus.

## §. XLV.

*Theologorum sententiæ circa Pœnitentiam.*

Attamen Melchior Avosmedianus Patensis Episcopi, qua dignitate auctus denuo sub Pio IV. ad Synodum venerat, hanc in rem ita exorsus est: „prius nos propter pœnæ metum dolemus, dein propter Deum, postea vero, aiebat, peccata confitemur, Bernardus autem Colloredus Dominicanus, Foroliviensis Episcopi Theologus, illis, quæ sunt ad Pœnitentiam necessaria, adnumeravit timorem, detestationem, ac fidem, ex qua spes oritur, & ab hac dilectio, ejusdemque Sententiæ fuit Franciscus Contreja ex Ordine Minorum observantium. Porro reapse, quantum ex actis conici licet, Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, qui tanquam inhonestum improbabant pœnæ timorem.

## §. XLVI.

*Synodi sententia circa contritionem in Sacramento Pœnitentiæ.*

Pall. n. 25.  
 § 26.

Ad hæc Joannes Æmilianus Tudetanus in Galætia Episcopus hunc in  
 mo-

modum differebat : „Veritati minus  
 „consonum videtur, quod quis de suis  
 „peccatis dolorem concipere queat, ni-  
 „si ad eum moveat amor : minus vero  
 „certum est, quod sola attritio unacum  
 „Sacramento sufficiat,„. Ex his multæ  
 oriebantur disputationes, in quibus agi-  
 tabatur, an ad Sacramentum pœniten-  
 tiæ requireretur contritio : quippe Theo-  
 logorum nonnulli contendebant, sim-  
 plicem sufficere attritionem, quæ ex  
 metu pœnarum inferni concipitur. Alii  
 ex adverso propugnabant, quod in hoc  
 metu necessario includi debeat amor  
 quidam initialis, quinimo ipsemet E-  
 piscopus Tudetanus alios excedens e-  
 jusmodi amorem asseruit necessarium,  
 & propugnavit, opus esse contritione  
 perfecta, quin tamen hinc argui possit,  
 per Sacramentum peccata non remitti,  
 cum ea Sacramentum jam inveniret re-  
 missa per præeuntis Contritionis effica-  
 ciam : siquidem, ajebat, ipsa Con-  
 tritio id præstat virtute Sacramenti,  
 cujus votum in ea continetur.

Ob hanc opinionum diversitatem  
 præprimis decretum condebatur, in  
 quo sat manifestum fit, quod simplex  
 attritio ex solo pœnarum metu concep-  
 ta intra Sacramentum sufficiat. Hujus  
 decreti verba erant sequentia. *Ille con-  
 tritio, quam Theologi attritionem vocant,*  
*Elis. Eccles. Tom. XXI. F quod*

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

*Voyez le*

*livre intitule*

*Eclaircisse-*

*ment sur cette*

*celebre que-*

*stion : Si le*

*Concile de*

*Trente a*

*Paris 1683.*

*Par. Mr.*

*Querat*

*Docteur en*

*Sorbon.*

Sæcul. XVI. A. C. 1551. quod imperfecta sit, & solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de commissis delictis exprimat, statuit hæc sancta Synodus, & declarat, non solum non facit hominem hypocritam, & magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur) verum etiam sufficit ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei est, & Spiritus Sancti impulsus verissimus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponit.

Cum antea hoc decretum fuisset conceptum adjectis hisce verbis: *Hæc attritio sufficit ad Sacramenti hujus constitutionem*, hinc Tudetanus Episcopus gravibus omnino verbis demonstrabat falso dici, hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse: Porro cum variæ essent Auctorum sententiæ, an hæc attritio satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini attrito remittantur peccata absolutionis supervenientis vi, quamobrem Decretum sicuti nunc exstat, confectum est eo modo, prout a nobis refertur. Hæc sunt propria

pria Pallavicini verba : unde extra o-Sæcul, XVI.  
 mne dubium positum videtur, quod Sy-A. C. 1551.  
 nodus, ne in suspicionem definitionis  
 hac super re factæ trahi posset, caute  
 omnem ansam præciderit, ac Theolo-  
 gis plenam de hoc argumento dispu-  
 tandi, ac sententiæ, quæcunque ipsis  
 præplacuerit, accedendi libertatem re-  
 liquerit, unice contenta, ut dissidia per  
 Lutheri affectas suscitata componeret,  
 quin tamen Catholicarum Scholarum  
 opiniones nullatenus fidei Orthodoxæ  
 adversas tangeret.

## §. XLVII.

*Disputatio circa materiam Sacramen-  
ti Pœnitentiæ.*

Fervens pariter habebatur disceptatio,  
 qua ratione actus pœnitentis decla-  
 randi essent partes Sacramenti. De-  
 monstrabant Scoti Doctoris Discipuli,  
 quod tunc, si contritio, confessio, & sa-  
 tisfactio dicerentur materia Sacramen-  
 ti Pœnitentiæ, minus apte hac de re  
 ageretur, cum Sacramenti materia in  
 ea re, quæ Sacramentum recipienti a  
 Ministro applicari potest, non vero con-  
 sistere debeat in illa, quæ importat ac-  
 tionem Sacramentum recipientis : ea  
 igitur ex ratione proprios Pœnitentis  
 actus nequaquam tanquam ipsius Pœni-  
 tentiæ partes respici posse ajebant. In-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

ferebant quoque, contritionem non minus ad Adulterum baptisma requiri, quam Pœnitentiam, quin tamen sit Baptismi pars. His addebant, quod olim ante Baptismi administrationem confessio fuerit requisita, ducto exemplo a S. Joanne Baptista, qui eos, quos Baptizare volebat, prius ad Pœnitentiam disponebat, imo etiam Cathecumenis pœnitentiam agere præcipiebat, quin tamen ullus unquam exinde inferret, quod ejusmodi pœnitentiæ fuerint materia, vel pars Baptismi, ut proin opinionem ab omnibus veteribus Theologis, atque ab ipsa Parisina Facultate Theologica tum propugnata damnare haud æquum sit. Huic quoque sententiæ acceperunt Colonienfis Electoris Theologi, quapropter attentis horum rationibus sancitum, duntaxat esse exponendum, quod actus Pœnitentis sit quasi materia. (\*)

§. XLVIII.

*Articulus de absolute, atque institutione Pœnitentiæ examinatus.*

*Pallav. l. 12. c. 12.* Postquam articulus de absolute ad  
exa-

(\*) Cuncta hæc Continuator ex proseripto suo Paulo Sarpio descripsit, quin tamen illum allegare ausus fuerit, cum eundem a Pallavicino l. 12. cap. 12. n. 1. & seq. egregie confutatum scire potuisset,

examen vocabatur, rursus Ordinis S. Sæcul. XVI.  
 Francisci Alumni ostendebant, perpe- A.C. 1551.  
 ram hæresis notam inuri illis, qui Sa-  
 cramentalem absolutionem esse declara-  
 toriam affirmarent, eoquod hanc sen-  
 tentiam tuerentur D. Hieronymus, Ma-  
 gister sententiarum, pluresque cele-  
 bres Scholastici. Verum illis respon-  
 debatur: duntaxat damnari opinionem  
 Lutheri, eorumque, qui pœnitentibus  
 peccata esse remissa affirmant, dummo-  
 do se eorum remissionem obtinuisse certo  
 credant. Nihilominus hi religiosi insi-  
 stebant, postulantes, ut verbis magis  
 perspicuis res declararetur; ubi enim  
 de hæresi agitur, clare, ac diserte lo-  
 quendum ajebant: Ad hæc eis dabatur  
 fides, illis plene satisfactum iri. Post  
 hæc Ambrosius Pelargus Dominicanus,  
 ac Trevirensis Electoris Theologus ita  
 perorabat: summi momenti res est, ut  
 priusquam quid definiatur, sedulo san-  
 ctorum Patrum scripta evolvantur, ac  
 certa habeatur notitia, an Sancti Pa-  
 tres hæc verba Christi Domini: *quorum*  
*remiseritis peccata, remittentur eis*, de in-  
 stitutione Sacramenti Pœnitentiæ ex-  
 ponant, prout tamen illa decreto in-  
 ferere Synodi Patres cogitant; quippe  
 eadem verba a nonnullis Sanctis Patri-  
 bus accipiuntur de Baptismi Sacramento  
 & ab aliis de quocunque modo, quo pec-  
 catorum

Sæcul. XVI. catorum remissio obtinetur. Itaque,  
 A.C. 1551. concludebat Pelargus, si Synodus hæc  
 Christi verba ad solam institutionem  
 Sacramenti pœnitentiæ restringat, &  
 hæreticos pronuntiet omnes, qui ver-  
 ba aliter accipiunt, magnam adversa-  
 riis palmam cederet, & materiam gesti-  
 endi præberet ob damnatam in Concilio  
 veterem Ecclesiæ doctrinam.

Hæc Pelargi monita quibusdam  
 Prælati tam valida videbantur, ut  
 hanc quæstionem novo examini subiici  
 postularent. Verum Legatus eisdem  
 reposuit: „ad hoc, ut de consensu una-  
 „nimi testimonium reddi possit, sufficit,  
 „ut potissima Patrum pars sententiæ in  
 „decreto expressæ suffragetur.„ Huic  
 rationi Præsulum quamplurimi acquie-  
 vere. (\*)

## §. XLIX.

(\*) Perperam Continuator ad hunc to-  
 tum Paragraphum allegavit Pallavicinum,  
 quem hæc Sarpîi commenta confutasse igno-  
 rare haud poterat, haud sane injucundum erit  
 Lectori, si tamen ipsum Sarpium in sua Histo-  
 ria Concilii Trid. lib. 4. evolvere velit, mox  
 enim perspiciet, quanta Continuator de suo  
 adjecerit, ut Protestantibus aduletur, atque  
 eorum errores olim apud Doctores Catholicos  
 invaluisse argumentum suppeditet.

## §. XLIX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.*Articulus de casibus reservatis discussus.*

**C**irca articulum septimum *de casibus reservatis* Lovanienses Theologi obiciebant, quod a sanctis Patribus hac de re nulla fieret mentio, & Durandus, Gerso, ac Cajetanus dixerint, nullatenus peccata, sed censuras esse Romano Pontifici reservatas, ut proin nimiam saperet severitatem, si anathema in illos pronuntiaretur, qui adversam tenent sententiam. Præterea Archiepiscopi Coloniensis Theologi Lovaniensibus suffragantes demonstrabant, apud alios veteres Scriptores nihil haberi de reservandis, nisi publicis delictis; eamque reservandi rationem a laudato Parisiensi Cancellario improbatam fuisse, atque ab hæreticis dici illam ad aucupandas pecunias inventam, prout etiam in sua morum emendatione Campeggius affirmarat.

Hi iidem Theologi insuper de publica pœnitentia mentionem fieri postulabant, eo quod illam sancti Patres, ac præcipue D. Cyprianus, & S. Gregorius deprædicassent, eamque in pluribus epistolis tanquam necessariam proposuissent. His addebant, nisi circa hæreticos, ac peccatores publicos



Sæcul. XVI. „hujus pœnitentiæ usus restauretur,  
 A.C 1551. „nunquam Germania in pace consiste-  
 „re poterit. (\*)

§. L.

*Capita, ac Canones ultima manu elabo-  
 borati.*

Pallav. l. 12. C Cum omnes hæc materiæ in variis Præ-  
 c. 10. n. 28. fulum conventibus essent discussæ,  
 generalis Congregatio ad diem quintam  
 Novembris indicebatur, ut ibidem de-  
 creta, & doctrinæ Canones accurate  
 expensi, sine tamen anathemate refer-  
 rentur, relicta licet cuivis facultate,  
 ut desuper sua, si quæ occurrerent, du-  
 bia proponere posset. Placuit hoc con-  
 silium Tridentino Cardinali non minus,  
 quam S. R. I. Electoribus, plurimis-  
 que aliis Archiepiscopis: præprimis ve-  
 ro Legatus, qui hac super re cetero-  
 rum sententias rogabat, rem tandem  
 decidi, nec ultra ad incudem revoca-  
 ri gaudebat. Verum Granatensis Ar-  
 chiepiscopus, cum ex ordine ipsi dicen-  
 dum erat, vehementer huic opinioni ob-

---

(\*) Rursus hæc omnia Paulus Sarpus pro-  
 more suo adinvenit, & Continuator potius  
 huic Scriptori impio, quam Pallavicino vali-  
 dis rationibus hæc commenta confutanti ad-  
 hæreere voluit.

obluctabatur, animadvertens, quod interdum a Patribus circa canones quædam haud spernenda, fuerint observata, quæ tamen Theologorum solertiam effugissent, proin sibi videri aiebat, eosdem rursus esse proponendos, nec ultimam operi manum esse apponendam, nisi re prius exacte discussa. Ergo rursus Canones in deliberationem veniunt, ac suffragiis utrinque æqualibus, seu viginti quatuor pro utraque sententia militantibus, Papæ Legatus rem infavorem Granatensis Archiepiscopi decidit, quapropter tam capita, quam Doctrinæ Canones novo examini esse subiiciendos decernebatur. Intererathorum discussioni Græcus quidam Archiepiscopus, cujus supra meminimus: hic tamen suum suffragium minime tulit, eoquod illa, quæ agerentur, nonnisi per interpretem perciperet: Igitur in nova hac materiarum discussione communi consensu duodecim conficiebantur capita, in quibus doctrina exponebatur, præter novem Canones, quibus errores proscribebantur: Porro prima novem capita, quæ ad primos quindecim Canones referebantur, concernebant Sacramentum Eucharistiæ, cetera vero agebant de extrema Unctione, circa quam nulla omnino controversia fuerat exorta.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

Sæc. XVI.

A. C. 1551.

§. LI.

Reformationis decreta ad proximam  
Sessionem parata.

*Pallav. l. 12. c. 13. n. 1. & seq.*  
*Sarpius l. 4. p. 335.*  
*Pfalmaeus p. 259.*

Igitur tota Patrum sollicitudo in eo erat, ut reformationis decreta conficerentur, seu potius ea perficerentur, quæ jam antea fuere stabilita, eo fine, ut in proxima Sessione approbarentur. Hæc reducebantur ad quatuordecim capita, in quibus omne studium impendebatur, ut cuncta removerentur obstacula, quæ Episcopos retardare possent a coercendis vitiis Ecclesiasticorum, a quorum exemplo omnium fidelium disciplina dependebat. Id vero ea confectum est ratione, ut partim disciplinæ leges jam antea resitutæ, eoquod plures subtilibus interpretationibus illas eludere niterentur, rursus exponerentur, partim ut nova etiam statuta decreto adicerentur.

Itaque primo capite agebatur de promotis ad sacros Ordines sine Ordinarii licentia, atque circa hoc caput nulla omnino movebatur difficultas. In altero interdicebatur Episcopis *in partibus*, ne absque consensu Episcopi, vel saltem eo non contradicente ullum ex Sacris Ordinibus conferrent. Tertio capite decidebatur, quod *Episcopus quoscunque suos Clericos sibi subiectos*,  
abj

absque Diocesani sui licentia promoti fuerint, suspendere valeat. Verum hic articulus diuturnæ disceptationi obnoxius erat ob dispensationes Romæ concedi solitas, cum Episcopalis authoritas minueretur, atque disciplina penitus everteretur. Refert Paulus Sarpus, quod eo tempore, ut salva permaneret Sedis Apostolicæ dignitas, a Præsidibus cautum diligenter, ne aut Pontifex, aut summus Pœnitentiarius, aut alius quivis Curie Romanæ Minister, a quibus istas licentias impetrare consueverant, nomine designaretur. Hæc quidem Pallavicinus omnino negat, nullum tamen profert documentum, quo ea, quæ dicit, manifeste comprobaret. (\*)

In

(\*) Haud satis mirari possumus Continuatoris impudentiam, qua Sarpium sequi, ac Pallavicinum suggillare audeat: Quodnam enim est illud documentum, quod Sarpus in sui commenti subsidium adducit? nullum omnino: quonam autem documento Virum ad mendacia natum convincere poteris, quam eidem obiticiendo, quod talia absque omni teste, atque authoritate pro avita sua mentiendi consuetudine effutierit: Verum Pallavicinus nec hac sola mendacem suum Sarpium repellendi methodo contentus est, percipiamus enim illius rationes, ex quibus illum falsitatis arguit: Num existimabimus, inquit ille, Episcopos, si pri-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

In capite quarto fanciebatur correctio, quæ Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis competit. In quinto capite conservatoriæ, ut vocabantur, literæ, necnon conservatorum jura restringebantur, ac ea, quæ sequuntur de-

*prima vice Tridenti coalescentes ( tametsi potentia. Et auctoritate longe minus validi ) tam acriter in rebus multo minutioribus oblectabantur, quemadmodum hujus historię series pluribus in locis ostendit, nunc, cum aderant Septemviri, Et germanici Præsules ( quæ natio libertatem spirat, Et candorem adamat ) confensuros fuisse apertis oculis, ut serviliter deluderentur per remedia fallacia, mereque speciosa? ubinam affirmant Canonum periti, quando privilegia revocantur, aut coarctantur, nomine generico privilegii ea, quæ a summo Pœnitentiario, seu Pontifice concessa sunt, non involvi, cum ex una parte cuncta fiant auctoritate pontificia, Et ex altera res ipsa sit hujusmodi, ut ipsi, Et non alii ea possint largiri? nonne juris effectum omnibus notum est, legem semper in eo sententia accipiendam, in qua nec vana sit, nec inutilis? sed eventus sit nobis arbiter, Et observemus, an post hujusmodi prohibitionem ea, quæ prius summus Pœnitentiarius, aut Pontifex concesserunt, vim ullam retinuerint in rebus his vitis, ususve persisterit ea in posterum concedendi.*

decernebantur: „Pontifex solet cuivis  
 „supplici ea via, qua in Curia Roma- Sæcul. XVI,  
 A.C.1551.  
 „na omnia obtinentur, Judicem ad  
 „supplicis voluntatem deputare, qui  
 „auctoritate sua illum tueatur, ac pro-  
 „tegit, & in possessione rerum, ac ju-  
 „rium suorum conservet, molestias &  
 „injurias, si quæ inferantur, amoveat,  
 „favore etiam hoc ad domesticos, &  
 „familiares ejus pertinente: quos Ju-  
 „dices conservatores inde dixerunt: Cum  
 „autem iudices isti, quorum erat sup-  
 „plicem a molestiis tantum liberare,  
 „auctoritate sua abuterentur ad eun-  
 „dem justæ, ac debitæ animadversioni  
 „eximendum, & ad alios molestandos,  
 „immo ad Episcopos, aliosque supe-  
 „riores Ecclesiasticos censuris fatigan-  
 „dos, ideo capite V. huic malo provi-  
 „sum est, statuendo, ne literæ conser-  
 „vatoriæ usque eo cuiquam profint,  
 „quo minus coram iudice ordinario in  
 „caussis criminalibus, & mixtis conve-  
 „niri possit, accusari, & in eum inqui-  
 „ri: in civilibus autem caussis, ubi il-  
 „le actor extiterit, ne quem in judi-  
 „cium ad Conservatores suos trahere  
 „permittatur: si reus sit, & Conser-  
 „vatorem actor suspectum habeat, aut  
 „si qua inter ipsos iudices, Conserva-  
 „torem, & Ordinarium, de compe-  
 „tentia fori controversia oriatur, ut ar-  
 „bitri

Sæcul. XVI  
A.C. 1551. „bitri secundum juris formam eligan-  
tur, & literæ conservatoræ, quæ ad  
„familiares pertinent, ad duos solum-  
„modo extendantur, qui alantur sump-  
„tibus ipsius.

*Pallav. c. 13.  
n. II.*

Plura alia hanc in rem statuebantur, quæ postea ipsum Caput de reformatione recensentes memorabimus. Porro cum Synodus hoc decreto universitates, Doctorum, vel Scholarium Collegia, Regularium domos, atque Hospitalia nullatenus comprehendere vellet, horum exceptio a multis impugnabatur, verum & hi aquiescere cogebantur, eo quod Paulus III. non ita pridem disertis verbis declarasset, quod ad tuendam sedis Apostolicæ auctoritatem necessarium esset, ut Religiosi, atque universitates a Romano Pontifice omnino dependerent. Quapropter in hoc decreto nullatenus de eorum privilegiis actum fuit. (\*)

Sextum caput agit de Sacerdotum vestibus, nec non de obligatione eas deferendi, & nulla circa hunc articulum erat

(\*) Quantus tremor esset futurus, si Continuator unacum Sarpio suo allegare deberet locum, in quo Paulus III. hæc asseruit, sufficiat vero legere ea, quæ Pallavicinus hæc super re loc. cit. annotavit.

erat dissensio. In septimo statuitur, ut, *Sæcul. XVI*  
*qui sua voluntate homicidium perpetravit, A.C. 1551.*  
 omni ordine, beneficio, & officio Ecclesia-  
 stico perpetuo careat: qui vero non ex pro-  
 posito, sed casu homicidium commisit, ut ei  
 jure dispensatio debeatur, & hæc dispensa-  
 tio non alteri, quam loci Ordinario com-  
 mittatur, aut si subsit causa, cur ei com-  
 mittenda non sit, Metropolitano, seu vi-  
 ciniori Episcopo tradatur. In capite oc-  
 tavo decernebatur, ut Cardinales Episco-  
 pi, ac Prælati contra Clericos sibi non sub-  
 ditos procedere nequeant, absque ipsius E-  
 piscopi, aut personæ ab Episcopo deputan-  
 dæ interventu. Caput nonum prohibet  
 unionem in perpetuum Ecclesiarum, aut be-  
 neficiorum in diversis diocæsis, qualiscun-  
 que prætextus obtendatur. Decimum ve-  
 ro caput vult, ut beneficia regularia reli-  
 giosis in titulum dari consueti, cum ea in  
 posterum quovis modo vacare contigerit, non  
 conferantur, nisi religiosi illius Ordi-  
 nis, aut certe iis, qui habitum & professio-  
 nem Ordinis suscipere tenentur.

Conditum fuit hoc caput, ut quo-  
 dammodo Religiosis satisfieret, qui be-  
 neficia sua possent conservare, atque  
 etiam ea, quæ commendarum perpe-  
 tuarum inventionem amisissent recuperare,  
 quod tamen eis fuerat denegatum. In  
 capite undecimo prohibitum, ne Regu-  
 lares ab uno Ordine ad alium transeant,  
 nisi



Sæcul. XVI. nisi ea lege, ut in Ordine, ad quem  
A. C. 1551. transferuntur superioris sui obedientiæ  
 submittantur: Præterea sancitum, ut  
*beneficiorum sæcularium, etiam curatorum,  
 omnino sint incapaces: quoniam vero in Cu-  
 ria Romana ex gratia Ecclesiarum jus pa-  
 tronatus concedebatur, ac quo uberior esset  
 ea gratia, impetranti jus patronatus pote-  
 stas fiebat deputandi Ecclesiasticum quemvis,  
 qui præsentatum institueret, ad medendum  
 utrique huic malo, statutum primo capite  
 XII. in remedium prioris, ne cuiquam com-  
 peteret Patronatus jus, nisi ei, qui Eccle-  
 siam de novo fundaverit, & construxerit,  
 aut jam erectam, sed absque dote sufficienti,  
 de suis propriis & patrimonialibus bonis  
 competenter dotaverit.*

Postea in remedium alterius mali  
 capite decimo tertio omnibus Ecclesia-  
 rum Patronis prohibitum fuit, ne sub  
 cujusvis privilegii prætextu aliquem ad be-  
 neficia sui juris patronatus alteri præsentent,  
 quam Episcopo loci Ordinario, ad quem  
 cessante privilegio, ipsius beneficii institutio  
 pertineret.

Denique in capite decimo quarto  
 proponebantur materiæ, quæ in Sessio-  
 ne die vigesima quinta Januarii Anno  
 sequenti agitandæ sint. Erant autem  
 articuli de S. Ordine, & Sacrificio  
 Missæ.

## §. LII.

Sæcul XVI.  
A.C. 1551.*Wittembergici Ducis Oratores Tridentum venientes.*

Cum interea Tridenti de omnibus hisce articulis ageretur, ac necessaria pro Sessione ad diem vigesimam quintam Novembris indicta disponerentur, ad eandem urbem Wittembergici Ducis Oratores exeunte Mense Octobri advenierant. Erant hi nonnisi duo Theodoricus Pleningerus, & Joannes Hecelinus, quibus a Duce injunctum, ut fidei suæ confessionem scripto editam publice Synodo exhiberent, suæque patriæ Theologos lubenter Tridentum adventuros nuntiarent, eo fine, ut amplius mentem suam explicare, doctrinamque tueri possent, dummodo ipsis juxta Basileensis Concilii normam idonee caveretur: igitur Oratores Tridentum delati mox Montfortium Comitem Cæsaris Legatum adeunt, atque exhibito Ducis sui diplomate, ac demandati negotii ratione exposita Comiti significant, quod ipsis fuerit injunctum, ut quosdam articulos Ducis sui nomine in Synodo proponerent. Ad hæc Comes, ut Legatum Pontificium præprensus ipsi adirent, persuadere conatur: cum autem hi vererentur, ne eo ipso, si Pontificis Legato rem communicassent,

*Hist. Eccles. Tom. XLI.*

G jus

Sæcul. XVI  
A.C. 1551.

jus illi, ac præcipuam supremi Judicis auctoritatem, ipsorumque causam cognoscendi facultatem tribuere videntur non sine magno fortassis causæ suæ dispendio, hinc Comitem rogarunt, quatenus haud iniquo ferret animo, si Legatum adire differrent, donec datis ad Ducem literis, quid hac in re fieri vellet, ex ipso intelligerent. Interea Comes totam rei seriem Legato exposuit, qui eidem in responsis dabat: (\*) *Wittembergicis id faciendum, quod alii omnes Oratores facere consueverunt, nempe legatum Pontificium, & cæteros Concilii Præsides primum conveniendos, iisque Summam legationis exponendam: eant itaque bonis avibus, & ab eo omnia humanitatis officia exspectent.* Wittembergici responso hoc per Comitem accepto non contenti, ajunt, unum esse ex capitibus, quæ Germani requirunt, ut in Concilio Papa non præsideat: se igitur cum ejus legato non communicaturos, nisi Principem suum id

(\*) Hujus responsi mentionem nec Thuanus, nec Sleidanus, quos Continuator allegat, faciunt, solus vero Sarpinus insignis ille mendaciorum Architectus ejusdem testis est: eum vero citare Continuator plerumque omisit, ne forte suæ historiæ fidem ob tam iniquum testem suspectam redderet.

velle cognoscant, ad quem literas jam daturum, Et quid in eo fieri vellet, expediatum essent.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

Equidem Comes summa ingenii dexteritate tentabat ab Oratoribus legationis suæ arcana elicere, ut legatum de iis certiolem faceret. At illi generalibus suis mandatis inhaerentes, adduci non poterant, ut ad specialia descenderent,

§. LIII.

*Joannes Sleidanus Argentinesium Deputatus Tridentum veniens.*

Paulo post seu vigesima secunda Novembris Joannes Sleidanus, qui hujus temporis historiam ab anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo coeptam usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimum sextum concinnaverat, ab Argentinesi urbe deputatus Tridentum venit, ut cum Mauriti Electoris, ac Wittembergici Ducis Oratoribus communem causam ageret. Huic quoque civitati sese adjungebant Eslinga, Ravespurgum, Rotelinga, Biberacum, & Lindavia, quæ omnes urbes Sleidano, ut simul cum iis, quos etiam ipsæ ablegarunt, earum nomine ageret, potestatem fecerunt: Norimbergenses vero Cæsaris indignationem veriti in hac occasione

Thuan. Et Sleid. l. c.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

casione neutri parti sua addixere studia, prout jam antea in bello Germanico fecerant, & Francofordienses, cum proprio damno sapere inciperent, nullum decernebant Oratorem, etiamsi eandem cum ceteris doctrinam profiterentur. Pariter Augustani nullos habebant, quos Tridentum mitterent, eoquod non ita pridem omnes eorum Ministelli urbe essent ejecti. Denique Ulmenses juxta præscriptam a Cæsare normam sese gerebant.

*Lettre de  
Malvend. a  
l'Eveque  
d'Arras du  
12. Oct. dans  
les memoires  
de Vargas  
pag. 163.*

Interea cum jamjam dies proximæ Sessioni præstituta appropinquaret, Hispani insinuabant, quod consultius foret Protestantium adventum præstolari, ne illi re penitus ferme confecta advenirent. Insuper Malvenda datis ad Atrebatensem Episcopum literis hæc exponebat: Coloniensi Electori fatius fore videtur, si ea, quæ in Concilio definiuntur, non nisi post illius exitum promulgarentur, cum decreta tunc majoris auctoritatis esse censerentur, simulque famosi præcaverentur libelli, qui passim decretis vix editis in Germania, & Helvetia disseminabantur: Denique, addebat ille, si Protestantes Concilium accedant, nullatenus statim post primam Sessionem, cui intererunt, discedendi voluntate abripiantur, postquam se jam ab initio damnari intelligent:

quin-

quinimo semper spe quadam detinebuntur, ac lubentius Synodi exitum præstolabuntur. Hæc sententia non modo Electori Moguntino, sed pluribus adhuc aliis probabatur, ac prudentiæ legibus consona videbatur: nec minus ejusdem opinionis erat Franciscus Vargas, prout elucet ex Epistola, quam ad Episcopum Atrebatensem die septima Octobris perscripserat: Ignoratur tamen, an hoc consilium Synodi Præsidibus fuerit communicatum: id vero omnino exploratum habetur, quod nullus illud fuerit secutus, cum absque mora decimæ quartæ Sessioni initium fuisset datum.

## §. LIV.

*Sessio decima quarta Concilii Tridentini.*

Habita est Sessio decima quarta die vigesima quinta Novembris, ubi præmissis de more precibus, aliisque solemnibus Franciscus Manrique Aurenensis in Galæcia Episcopus Pontificis ritu Sacris operatus est, Episcopus vero Sancti Marci orationem latino sermone conceptam habuit, qua finita Prælati, qui prius rem divinam peregerat, consensu suggestu decreta fidem, ac morum emendationem concernentia prælegit, ex quibus novem priora agebant

Sæc. XVI.

A.C. 1551.

Labbe Collect.

Conc. tom. 14

p. 815. &amp; seq.

Sæcul XVI. A.C. 1551. bant de Pœnitentia: alia vero tria de extrema unctione, & postea promulgabantur novemdecim Canones, quorum postremi complectebantur quatuordecim capita.

§. LV.

*Capita circa Pœnitentiæ Sacramentum.*

CAPUT I.

De hujus Sacramenti necessitate, & Institutione.

„Si in ea regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio, & gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum: quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitute, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinarent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria; illis etiam

„etiam , qui Baptismi Sacramento ab- Sæcul. XVI.  
 „lui petivissent , ut perversitate abjecta, A. C. 1551.  
 „& emendata , tantam Dei offensio-  
 „nem cum peccati odio , & pio animi  
 „dolore detestarentur : Unde Prophe-  
 „ta ait : *Convertimini, & agite pœnitentiam* Ezech. c. 18.  
 „*ab omnibus iniquitatibus vestris, &*  
 „*non erit vobis in ruinam iniquitas.* Do-  
 „minus etiam dixit : *nisi pœnitentiam ege-* Luc. c. 13.  
 „*ritis, omnes simul peribitis.* Et Prin-  
 „ceps Apostolorum Petrus , peccato-  
 „ribus Baptismo initiandis pœnitentiam  
 „commendans , dicebat : *pœnitentiam* Act. cap. 2.  
 „*agite, & baptizetur unusquisque vestrum.*  
 „Porro nec ante adventum Christi pœ-  
 „nitentia erat Sacramentum , nec est  
 „post adventum illius cuiquam ante  
 „baptismum : Dominus autem Sacra-  
 „mentum Pœnitentiæ tunc præcipue  
 „instituit , cum a mortuis excitatus in-  
 „sufflavit in discipulos suos dicens : Ac-  
 „cipite Spiritum Sanctum , quorum re-  
 „miseritis peccata , remittuntur eis,  
 „& quorum retinueritis , retenta sunt :  
 „quo tam insigni facto , & verbis tam  
 „perspicuis , potestatem remittendi , &  
 „retinendi peccata , ad reconciliandos  
 „fideles post baptismum lapsos , Apo-  
 „stolis , & eorum legitimis Successori-  
 „bus , fuisse communicatam , universo-  
 „rum Patrum consensus semper intelle-  
 „xit , et Novatianos remittendi pote-  
 „statem



Sæcul. XVI. „statem olim pertinaciter negantes  
A.C. 1551. „magna ratione Ecclesia Catholica tan-  
 „quam hæreticos explofit, atque con-  
 „demnavit, quare verissimum hunc il-  
 „lorum verborum Domini sensum San-  
 „cta hæc Synodus probans, & reci-  
 „piens, damnat eorum commentitias  
 „interpretationes, qui verba illa ad  
 „potestatem prædicandi verbum Dei,  
 „& Christi Evangelium annuntiandi,  
 „contra hujusmodi Sacramenti instit-  
 „tionem falso detorquent. „ Postre-  
 „mis hisce verbis Lutheri hæresis dam-  
 „natur.

§. LVI.

## CAPUT II.

*De differentia Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptismi.*

1. Cor. c. 15. „Ceterum hoc Sacramentum multis  
 „rationibus a baptismo differre cog-  
 „noscitur, nam præterquam, quod ma-  
 „teria & forma, quibus Sacramenti ef-  
 „fectus perficitur, longissime dissideat,  
 „constat certe, baptismi Ministrum judi-  
 „cem esse non oportere: cum Ecclesia  
 „in neminem judicium exerceat, qui  
 „non prius in ipsam per baptismi ja-  
 „nuam fuerit ingressus: quid enim mi-  
 „hi, inquit Apostolus, de his, qui  
 „foris sunt, judicare? secus est de do-  
 „mesticis fidei, quos Christus Dominus  
 „lava-

„lavacro baptismi, sui corporis mem-  
 „bra semel effecit, nam hos, si se po-  
 „stea crimine aliquo contaminaverint,  
 „non jam repetito baptismo ablui, cum  
 „id in Ecclesia Catholica nulla ratione  
 „liceat, sed ante hoc tribunal tanquam  
 „reos fisci voluit, ut per Sacerdotum  
 „Sententiam non semel, sed quoties  
 „ab admisis peccatis ad ipsum poeni-  
 „tentes confugerint, possent liberari.  
 „alius est præterea baptismi, alius pœ-  
 „nitentiæ fructus: per baptismum enim  
 „Christum induentes, nova prorsus in  
 „illo efficimur creatura, plenam, &  
 „integram peccatorum omnium remis-  
 „sionem consequentes, ad quam tamen  
 „novitatem, & integritatem per Sacra-  
 „mentum poenitentiae sine magnis no-  
 „stris fletibus, & laboribus id exigente  
 „justitia, pervenire nequaquam possu-  
 „mus, ut merito poenitentia laborio-  
 „sus quidam baptismus a Sanctis Patri-  
 „bus dictus fuerit: est autem hoc Sa-  
 „cramentum poenitentiae lapsis post bap-  
 „tismum ad salutem necessarium, ut  
 „nondum regeneratis ipse baptismus.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.

Euseb. l. 3.  
 hist. cap. 22.  
 Greg Naz.  
 orat 39.  
 Joannes  
 Damasc. l. 4.  
 de fide c. 10.

§. LVII.

CAPUT III.

*De partibus, & fructibus hujus Sa-  
cramenti.*

„Docet præterea sancta Synodus,  
 G 5 „Sa-

Sæcul. XVI

A.C. 1551.

---

„Sacramenti Pœnitentiæ formam, in  
 „qua præcipue ipsius vis fita est, in illis  
 „Ministri verbis positam esse: ego te  
 „absolvo &c. quibus quidem de Eccle-  
 „siæ sanctæ more preces quædam lau-  
 „dabiliter adjunguntur: ad ipsius ta-  
 „men formæ essentiam nequaquam spe-  
 „ctant, neque ad ipsius Sacramenti  
 „administrationem sunt necessaria:   
 „Sunt autem quasi materia hujus Sa-  
 „cramenti, ipsius pœnitentis actus,  
 „nempe contritio, Confessio, & Sa-  
 „tisfactio, qui quatenus in pœnitente  
 „ad integritatem Sacramenti, ad ple-  
 „namque, & perfectam peccatorum re-  
 „missionem ex Dei institutione requi-  
 „runtur, hac ratione partes pœniten-  
 „tiæ dicuntur. Sane vero res, & ef-  
 „fectus hujus Sacramenti, quantum ad  
 „ejus vim, & efficaciam pertinet, re-  
 „conciliatio est cum Deo, quam inter-  
 „dum in viris piis, & cum devotione  
 „hoc Sacramentum percipientibus, con-  
 „scientiæ pax, & serenitas cum vehe-  
 „menti Spiritus consolatione consequi  
 „solet. Hæc de partibus, & effectu hujus  
 „Sacramenti Sancta Synodus tradens,  
 „simul eorum sententias damnat, qui  
 „pœnitentiæ partes, incussos conscien-  
 „tiæ terrores & fidem esse contendunt.

Ex hoc capite elucet, quod ad Sa-  
 cramenti rationem non sit omnino ne-  
 cessaria

cessar a materia sensibilis, ac perma-  
 nens, sed sufficiat quædam res, quæ  
 est quasi materia, dummodo per ali-  
 quod signum externum manifestetur:  
 eapropter Synodus inquit, quod ipsius  
 Pœnitentis actus, quamvis non sint  
 sensibiles, quatenus tamen per actus  
 externos manifestantur, sint *quasi ma-*  
*teria.* Nihilominus Doctores, prius-  
 quam hæc definitio fuisset promulgata,  
 hac de re in varias scindebantur opi-  
 niones, Robertus enim Pullus, dein  
 Scotus, ac postea Ockamus, Joannes  
 Major, Almainus, & alii totam Pœ-  
 nitentiæ essentiam in sola collocabant  
 absolute, quæ quatenus est ritus  
 sensibilis, pro materia habebatur, in  
 quantum vero Sacramenti effectum sig-  
 nificabat, rationem formæ induebat:  
 Durandus vero confessionem asserebat  
 hujus Sacramenti materiam, & abso-  
 lutionem dicebat ejusdem formam, con-  
 tritionem vero nonnisi præcedentem di-  
 spositionem, & satisfactionem Pœni-  
 tentiæ fructum esse ajebat. Aii econ-  
 tra Sacramenti materiam reponebant  
 in impositione manuum unacum actibus  
 Pœnitentis. Denique D. Thomas, ejus-  
 que Discipuli statuunt, materiam esse  
 contritionem, Confessionem, & satis-  
 factionem, idque fide divina creden-  
 dum, aut saltem proxime ad fidem ac-  
 cedere

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1551.

Sæcul. XVI. cedere existimant nonnulli, eo quod id  
 A C. 1551. in decreto Papæ Eugeni IV. & in Sanctio-  
 ne Concilii Tridentini definitum sit: ne-  
 mo tamen ex illis unquam afferuit,  
 quod hi actus sit *proprie*, sed duntaxat  
*quasi* materia.

Pariter in hoc capite Sacramenti  
 Pœnitentiæ forma est definita per hæc  
 verba: *Ego te absolvo* &c. quibus ver-  
 bis significatur absolutio Sacerdotis tan-  
 quam Judicis legitimam jurisdictionem  
 habentis. Porro extra omne dubium  
 est, quod hæc forma non semper iis-  
 dem omnino verbis in Ecclesia fuerit  
 expressa; demonstrant enim Theologi  
 quod usque ad sæculum decimum absolu-  
 tio duntaxat in precibus constiterit, a de-  
 cimo autem usque ad decimum tertium  
 sæculum in usu fuerit forma, ut vocant  
*deprecatória*, qua Sacerdos Deum obse-  
 crabat, ut Pœnitentem absolvat, quin-  
 tum quædam apponerentur verba, quibus  
 Sacerdotem absolvere significabatur:  
 quippe circa hoc sæculum forma  
*judicativa* introduci cœperat, dicente  
 Sacerdote: *Ego te absolvo*, *Ego tibi*  
*remitto peccata tua*, ut perspicui potest in  
 rituali Romano ab Hugone Menardo  
 edito. Præterea Ecclesia Græca in ab-  
 solvendo semper utebatur forma depre-  
 catoria, quamvis Arcudius observet  
 Græcos in posterioribus sæculis adhi-  
 buisse

Morin. l. 8.  
 de administ.  
 Sacram.  
 pœn. c. 12.  
 n. 2.

buisse hæc verba : *Ego te habeo absolutum*, quæ tamen vera non erat absolutio. Inde concludi potest, quod Deus Ecclesiæ suæ potestati illorum verborum, quibus pœnitentes sunt absolventi, determinationem reliquerit, eaque juxta Ecclesiarum diversitatem diversa quoque esse valeant : hodiedum vero in Ecclesia latina adhibetur forma judicativa, seu illa, qua Sacerdos se absolvere exprimit, dicens : *Ego te absolvo*, hinc præsens usus est sequendus utpote ab Ecclesia præceptus, nec tamen propterea aliarum Ecclesiarum vel temporum usus damnandus, eoquod hæc rituum diversitas nihil Sacramentorum valori obsit.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

*Arcud. l. 4.  
de Sacram-  
c. 13.*

§. LVIII.

CAPUT. IV.

*De contritione.*

„**C**ontritio, quæ primum locum inter  
 „dictos pœnitentiæ actus habet,  
 „animi dolor, ac detestatio est de pec-  
 „cato commisso, cum proposito non  
 „peccandi de cætero : fuit autem quo-  
 „vis tempore ad impetrandam veniam  
 „peccatorum hic contritionis motus  
 „necessarius, & in homine post baptis-  
 „mum lapso ita demum præparat ad re-  
 „missionem peccatorum, si cum fiducia  
 „divinæ misericordiæ, & voto præ-  
 „standi

Sæc. XVI. „standi reliqua, conjunctus sit, quæ  
 A.C 1551. „ad rite suscipiendum hoc Sacramen-

„tum requiruntur: declarat igitur  
 „Sancta Synodus, hanc contritionem  
 „non solum cessationem a peccato, &  
 „vitæ novæ propositum, & inchoatio-  
 „nem, sed veteris etiam odium con-  
 Ezech. c. 18. „tinere, juxta illud: *proiicite a vobis*  
 Psalm. 50. v. „*omnes iniquitates vestras, in quibus pro-*  
 5. item 6 v. 6. „*varicati estis, & facite vobis cor novum,*  
 Isai. c. 38. „*& Spiritum novum.* Et certe, qui il-  
 „los Sanctorum clamores considerave-  
 „rit: *tibi soli peccavi, & malum coram*  
 „*te feci: laboravi in gemitu meo, lavabo*  
 „*per singulas noctes lectum meum: recogita-*  
 „*bo tibi omnes annos meos in amaritudine*  
 „*animæ meæ:* & alios hujusmodi gene-  
 „ris, facile intelliget, eos ex vehemen-  
 „ti quodam antea actæ vitæ odio, & in-  
 „genti peccatorum detestatione manan-  
 „se. Docet præterea, etsi contritio-  
 „nem hanc aliquando charitate perie-  
 „ctam esse contingat, hominemque  
 „Deo reconciliare, priusquam hoc Sa-  
 „cramentum actu suscipiatur; ipsam  
 „nihilominus reconciliationem ipsi con-  
 „tritioni sine Sacramenti voto, quod  
 „in illa includitur, non esse adscriben-  
 „dam. Illam vero contritionem im-  
 „perfectam, quæ attritio dicitur, quo-  
 „niam vel ex turpitudinis peccati con-  
 „sideratione, vel ex gehennæ, & pe-  
 „narum

„narum metu communiter concipitur, Sæcul. XVI.  
 „si voluntatem peccandi excludat, cum A.C. 1551.  
 „spe veniæ, declarat, non solum non  
 „facere hominem hypocritam, & ma-  
 „gis peccatorem, verum etiam donum  
 „Dei esse, & Spiritus Sancti impul-  
 „sum, non adhuc quidem inhabitantis,  
 „sed tantum moventis, quo pœnitens  
 „adjutus viam sibi ad justitiam parat,  
 „& quamvis sine Sacramento pœniten-  
 „tiæ per se ad justificationem perduce-  
 „re peccatorem nequeat, tamen eum  
 „ad Dei gratiam in Sacramento Pœni-  
 „tentiae impetrandam disponit. Hoc  
 „enim timore utiliter concussi Ninivitæ  
 „ad Jonæ prædicationem plenam terro-  
 „ribus pœnitentiam egerunt, & mi-  
 „sericordiam a Domino impetrarunt:  
 „quam ob rem falso quidam calumni-  
 „antur Catholicos Scriptores, quasi  
 „tradiderint Sacramentum pœnitentiæ  
 „absque bono motu suscipientium gra-  
 „tiam conferre: quod nunquam Eccle-  
 „sia Dei docuit, nec sensit; sed & fal-  
 „so docent contritionem esse extortam,  
 „& coactam, non liberam, & volun-  
 „tariam.

Dum itaque Synodus, *contritionem  
 imperfectam, quæ attritio dicitur, quo-  
 niam vel ex turpitudinis peccati consideratio-  
 ne, vel ex gehennæ & pœnarum metu com-  
 muniter concipitur, si voluntatem peccandi*



Sæc. XVI. *excludat, cum spe veniæ, declarat non*  
A.C. 1551. *solum non facere hominem hypocritam, &*  
*magis peccatorem, tunc duntaxat Lutheri*  
 damnare voluit errores circa sequentes articulos, quibus tradebatur, quod timor omnino a contritione sit excludendus, ac hominem hypocritam, magisque peccatorem reddat, imo etiam imperfectum quoque Dei amorem, qui justificationem præcedit, eliminat, cum poenitentia ex perfecto amore oriri debeat. Hosce igitur errores Synodus condemnat, dum timorem ad hoc utilem esse definit, *ut illo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam paret.* Interim nullatenus stabilire intendit Synodus, quod solus timor absque amore sit dispositio sufficiens: cum enim in decreto, priusquam ad Sessionem deferre batur, verbum *sufficit* fuerit appositum, eo quod in eodem decreto juxta formam, qua tum exprimebatur, quædam fuerint positæ voces, quibus in hoc timore includi Dei amorem significabatur, postquam vero monentibus quibusdam Episcopis hæ voces fuerant expunctæ, pariter quoque ex decreto debebatur verbum *sufficit*, subrogata voce *disponit*, quæ verba inter se plurimum differunt, non enim omne, quod *disponit*, *sufficit*, cum dentur inter dispositiones quædam pro-

proximæ, ac aliæ remotiores, nec non Sæcul. XVI.  
aliæ sint perfectæ, vel imperfectæ. A.C. 1551.

Ergo Synodus nullo pacto timorem  
sufficere definivit, sed duntaxat timo-  
ris utilitatem decidit, nec etiam hunc  
timorem in eo loco considerat, prout is  
conjunctus est Sacramento, sed quate-  
nus separatus a Sacramento illud præ-  
cedit: de illo enim timore, qui Sacra-  
mentum præcedit, agitabatur quæstio  
Catholicos inter, & Lutheri Sectato-  
res, cum hi ejusmodi timorem esse  
malum affirmarint, ac propterea in hoc  
articulo a Synodo fuerint damnati;  
quippe duo circa hunc timorem, quate-  
nus Sacramento præcedit, definit Sy-  
nodus. I. Quod ille ex se ipso non ju-  
stificet Peccatorem. II. Quod Peccato-  
rem tamen ad justificationem obtinen-  
dam intra Sacramentum disponat, nul-  
latenus vero docet, quod sufficienter  
disponat. Quinimo hoc verbum *suf-  
ficit*, delevit, ne hujus sententiæ fuisse  
censeretur. Denique licet ipse etiam  
timor servilis sua non careat utilitate,  
nihilominus cum Synodi Patres de ti-  
more affirmant, quod ex turpitudinis  
peccati consideratione oriatur, & vo-  
luntatem peccandi excludat cum spe  
veniæ, hinc inde deduci potest, quod  
longe aptius hæc verba intelligi valeant  
de timore, qui conjunctus est cum quo-  
dam

*Hist. Eccles. Tom. XLI.*      H      dam

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

dam amore, nec tamen propterea de-  
finire statuit Synodus, quod quilibet  
gradus amoris sufficiat, minus vero de-  
cidere voluit, quisnam gradus amoris  
sit sufficiens.

§. LIX.

CAPUT V.

*De Confessione.*

„Ex Institutione Sacramenti Pœni-  
„tentiae jam explicata, universa Ec-  
„clesia semper intellexit, institutam etiam  
„a Domino integram peccatorum con-  
„fessionem, & omnibus post baptismum  
„lapsis jure divino necessariam existere:  
„quia Dominus noster Jesus Christus,  
„e terris ascensurus ad cœlos, Sacer-  
„dotes sui ipsius vicarios reliquit, tan-  
„quam præfides, & judices, ad quos  
„omnia mortalia crimina deferantur,  
„in quæ Christi fideles reciderint: quo  
„pro potestate clavium remissionis, aut  
„retentionis peccatorum sententiam  
„pronuntient: constat enim, Sacer-  
„dotes judicium hoc incognita causa  
„exercere non potuisse, neque æquita-  
„tem quidem illos in pœnis injungere  
„dis servare potuisse, si in genere dum-  
„taxat, & non potius in specie, ac si-  
„gillatim sua ipsi peccata declarassent.  
„Ex his colligitur, oportere a pœni-  
„tentibus omnia peccata mortalia, quo-  
„rum

„rum post diligentem sui discussionem **Sæcul. XVI.**  
 „conscientiam habent, in confessione **A.C. 1551.**  
 „recenseri, etiamsi occultissima illa sint,  
 „& tantum adversus duo ultima Deca-  
 „logi præcepta commissa, quæ non-  
 „nunquam animum gravius fauciant,  
 „& periculosiora sunt iis, quæ in ma-  
 „nifesto admittuntur; nam venialia,  
 „quibus a gratia Dei non excludimur,  
 „& in quæ frequentius labimur, quam-  
 „quam recte, & utiliter, citraque om-  
 „nem præsumptionem in Confessione  
 „dicantur, quod piorum hominum usus  
 „demonstrat, taceri tamen citra cul-  
 „pam, multisque aliis remediis expia-  
 „ri possunt. Verum cum universa pec-  
 „cata mortalia, etiam cogitationis,  
 „homines iræ filios, & Dei inimicos  
 „reddant, necessum est omnium etiam  
 „veniam cum aperta, & verecunda  
 „confessione a Deo quærere: itaque  
 „dum omnia, quæ memoriæ occur-  
 „runt, peccata Christi fideles confiteri  
 „student, procul dubio omnia divinæ  
 „misericordiæ agnoscenda exponunt:  
 „qui vero secus faciunt, & scienter ali-  
 „qua retinent, nihil divinæ bonitati  
 „per Sacerdotem remittendum propo-  
 „nunt: si enim erubescat ægrotus vul-  
 „nus medico detegere, quod ignorat,  
 „medicina non curat. Colligitur præ-  
 „terea, etiam eas circumstantias in

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

„Confessione explicandas esse, quæ  
 „speciem peccati mutant; quod sine il-  
 „lis peccata ipsa neque a pœnitentibus  
 „integre exponantur, nec iudicibus in-  
 „notescant, & fieri nequeat, ut de  
 „gravitate criminum recte censere pos-  
 „sint, & pœnam, quam oportet, pro  
 „illis, pœnitentibus imponere: Unde  
 „alienum a ratione est, docere, cir-  
 „cumstantias has ab hominibus otiosis  
 „excogitatas fuisse, aut unam tantum  
 „circumstantiam confitendam esse, nem-  
 „pe peccasse in fratrem. Sed & im-  
 „pium est, confessionem, quæ hac ra-  
 „tione fieri præcipitur, impossibilem  
 „dicere, aut carnificinam illam con-  
 „scientiarum appellare: constat enim  
 „nihil aliud a pœnitentibus in Ecclesia  
 „exigi, quam ut postquam ipse diligen-  
 „tius se excusserit, & conscientiaë suæ  
 „sinus omnes, & latebras exploraverit,  
 „ea peccata confiteatur, quibus se Do-  
 „minum, & Deum suum mortaliter of-  
 „fendisse meminerit: reliqua autem  
 „peccata, quæ diligenter cogitanti  
 „non occurrunt, in universum eadem  
 „confessione inclusa esse intelliguntur,  
 „pro quibus fideliter cum propheta di-  
 „ximus: ab occultis meis munda me  
 „domine: ipsa vero huiusmodi confesse-  
 „nis difficultas, ac peccata detegendi  
 „verecundia, gravis quidem videri pos-  
 „set.

„set, nisi tot, tantisque commodis, Sæcul. XVI.  
 „& consolationibus levaretur, quæ A. C. 1551.  
 „omnibus digne ad hoc Sacramentum  
 „accedentibus per absolutionem certif-  
 „sime conferuntur. Cæterum quoad  
 „modum confitendi secreto apud solum  
 „Sacerdotem, etsi Christus non vetue-  
 „rit, quin aliquis in vindictam suorum  
 „scelerum, & sui humiliationem, cum  
 „ob aliorum exemplum, tum ob Eccle-  
 „siæ offensæ ædificationem, delicta sua  
 „publice confiteri possit, non est tamen  
 „hoc divino præcepto mandatum, nec  
 „satis consulte humana aliqua lege  
 „præciperetur, ut delicta, præsertim  
 „secreta, publica essent confessione a-  
 „perienda: Unde cum a Sanctissimis,  
 „& antiquissimis Patribus magno, una-  
 „nimique consensu secreta Confessio Sa-  
 „cramentalis, qua ab initio Ecclesia  
 „sancta usa est, & modo etiam utitur,  
 „fuerit semper commendata, manifeste  
 „refellitur inanis eorum calumnia, qui  
 „eam a mandato divino alienam, & in-  
 „ventum humanum esse, atque a Pa-  
 „tribus in Concilio Lateranensi con-  
 „gregatis initium habuisse, docere non  
 „verentur: neque enim per Lateranen-  
 „se Concilium (\*) Ecclesia statuit, ut  
 H 3 Christi

(\*) Hoc erat Concilium Lateranense Oe-  
 cumenicum IV. Anno 1214, celebratum, in quo  
 Præ-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

„Christi fideles confiterentur, quod ju-  
„re divino necessarium, & institutum  
„esse intellexerat, sed ut præceptum  
„confessionis, saltem semel in anno, ab  
„omnibus, & singulis, cum ad annos  
„discretionis pervenissent, impleretur:  
„Unde jam in universa Ecclesia, cum  
„ingenti animarum fructu observatur  
„mos ille salutaris confitendi sacro il-  
„lo, & maxime acceptabili tempore  
„Quadragesimæ: quem morem hæc  
„Sancta Synodus maxime probat, &  
„amplectitur tanquam pium & merito  
„retinendum.

§. LX.

CAPUT VI.

*De Ministro hujus Sacramenti, &  
absolutione,*

„Circa Ministrum autem hujus Sacra-  
„menti declarat Sancta Synodus  
„falsas esse, & a veritate Evangelii pe-  
„nitentis alienas doctrinas omnes, quæ  
„ad alios quosvis homines, præter E-  
„piscopos & Sacerdotes, clavium mi-  
„nisterium perniciose extendunt, pu-  
„tantes

---

Præsidente ipso Papa Innocentio III. celebris Ca-  
non, qui incipit *omnis utriusque* sexus con-  
debatur, quapropter Minister Aliacus Eccle-  
siæ Catholicæ confessionem nequiter appellat  
*Confessionem Innocentianam.*

stantes, verba illa Domini, *quæcunque* Sæcul. XVI.  
*alligaveritis super terram, erunt alligata* A.C. 1551.  
*Et in cælo: Et quæcunque solveritis super*  
*terram, erunt soluta Et in cælo. Et quo-*  
*rum remiseritis peccata, remittuntur eis,*  
*Et quorum retinueritis, retenta sunt, ad*  
 omnes Christi fideles indifferenter, &  
 promiscue, contra institutionem hu-  
 jus Sacramenti, ita fuisse dicta, ut  
 quivis potestatem habeat remittendi  
 peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicunque factam. Docet quoque, etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in Ordinatione collatam, tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt: quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a Judice, sententia pronuntiatur, atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & ve-



Sæcul. XVI. „re absolvendi defit, putet tamen se  
 A.C. 1551. „propter suam solam fidem, vere, &  
 „coram Deo esse absolutum, nec enim  
 „fides sine pœnitentia remissionem ul-  
 „lam peccatorum præstaret; nec is ef-  
 „set nisi salutis suæ negligentissimus,  
 „qui Sacerdotem jocosè absolventem  
 „cognosceret, & non alium serio agen-  
 „tem sedulo requireret.

Pallav. l. 12. *Ex posterioribus hisce verbis*, ut ob-  
 c. 10. n. 34. servat Pallavicinus, *conicere potest*,  
*quisquis ea legerit*, haud esse expunctam  
 sententiam Catharini, aliorumque Theo-  
 logorum, opinantium, Sacramento,  
 ut ratum sit, sufficere in Ministro vo-  
 luntatem serio agendi, & obeffe tan-  
 tummodo jocum, quem Sacramentum  
 suscipiens cognoscere possit.

## §. LXI.

## CAPUT VII.

*De casibus reservatis.*

„Quoniam igitur natura, & ratio ju-  
 „dicii illud exposcit, ut Sententia  
 „in subditos duntaxat feratur; persua-  
 „sum semper in Ecclesia Dei fuit, & ve-  
 „rissimum esse Synodus hæc confirmat,  
 „nullius momenti absolutionem eam  
 „esse debere, quam Sacerdos in eum  
 „profert, in quem ordinariam, aut  
 „subdelegatam non habet jurisdic-  
 „tionem

,,nem : magnopere vero ad Christiani  
 ,,populi disciplinam pertinere sanctiffi-  
 ,,mis Patribus nostris visum est, ut at-  
 ,,rociora quaedam, & graviora crimi-  
 ,,na non a quibusvis, sed a summis  
 ,,duntaxat Sacerdotibus absolverentur:  
 ,,Unde merito Pontifices Maximi pro  
 ,,suprema potestate sibi in Ecclesia uni-  
 ,,versa tradita, caussas aliquas crimi-  
 ,,num graviores suo potuerunt peculia-  
 ,,ri iudicio reservare. Neque dubitan-  
 ,,dum est, quando omnia, quæ a Deo  
 ,,sunt, ordinata sunt, quin hoc idem  
 ,,Episcopis omnibus, in sua cuique Diæ-  
 ,,cesi, in ædificationem tamen, non in  
 ,,destructionem, liceat, pro illis in sub-  
 ,,ditos tradita supra reliquos inferiores  
 ,,Sacerdotes auctoritate, præsertim quo-  
 ,,ad illa, quibus excommunicationis  
 ,,censura annexa est: hanc autem de-  
 ,,lictorum reservationem, consonum est  
 ,,divinæ auctoritati, non tantum in ex-  
 ,,terna politia, sed etiam coram Deo  
 ,,vim habere. Verumtamen pie admo-  
 ,,dum, ne hac ipsa occasione aliquis  
 ,,pereat, in eadem Ecclesia Dei custo-  
 ,,ditum semper fuit, ut nulla sit reser-  
 ,,vatio in articulo mortis, atque ideo  
 ,,omnes Sacerdotes quoslibet pœniten-  
 ,,tes a quibusvis peccatis, & censuris  
 ,,absolvere possunt: extra quem arti-  
 ,,culum Sacerdotes, cum nihil possint

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1551.

Sæcul. XVI. „in casibus reservatis, id unum poeni-  
 A.C. 1551. „tentibus persuadere nitantur, ut ad  
 „superiores legitimos iudices pro bene-  
 „ficio absolutionis accedant.

§. LXII.

## CAPUT VIII.

*De Satisfactione.*

2. ad Timot. „Demum quoad Satisfactionem, quæ  
 cap. 3. „ex omnibus poenitentiae partibus,  
 „quemadmodum a Patribus nostris  
 „Christiano populo fuit perpetuo tem-  
 „pore commendata, ita una maxime  
 „nostra ætate, summo pietatis prætex-  
 „tu, impugnatur ab iis, qui speciem  
 „pietatis habent, virtutem autem ejus  
 „abnegarunt; sancta Synodus declarat,  
 „falsum omnino esse, & a verbo Dei a-  
 „lienum, culpam a Domino nunquam  
 „remitti, quin universa etiam poena  
 „condonetur: perspicua enim, & illu-  
 „stria in Sacris literis exempla reperi-  
 „untur, quibus, præter divinam tra-  
 „ditionem, hic error quam manifestif-  
 „sime revincitur. Sane & divinæ ju-  
 „stitiæ ratio exigere videtur, ut aliter  
 „ab eo in gratiam recipiantur, qui ante  
 „baptismum per ignorantiam deliquere-  
 „rint, aliter vero qui semel a peccati,  
 „& dæmonis servitute liberati, & ac-  
 „cepto Spiritus Sancti dono scienter  
 „tem-

„templum Dei violare, & Spiritum Sæcul. XVI.  
 „Sanctum contristare non formidave- A. D. 1551.  
 „rint. Et divinam clementiam decet,  
 „ne ita nobis absque ulla Satisfactione  
 „peccata dimittantur, ut occasione ac-  
 „cepta, peccata leviora putantes velut  
 „injurii, & contumeliosi Spiritui San-  
 „cto in graviora labamur, thesauri- I. Cor. c. 3.  
 „zantes nobis iram in die iræ: procul v. 17.  
 „dubio enim magnopere a peccato re- Ephes. c. 4.  
 „vocant, & quasi fræno quodam co- v. 30.  
 „ercent hæc satisfactoriæ pœnæ, cau-  
 „tioresque & vigilantiores in futurum  
 „pœnitentes efficiunt: medentur quo-  
 „que peccatorum reliquiis, & vitiosos  
 „habitus male vivendo comparatos con-  
 „trariis virtutum actionibus tollunt:  
 „neque vero securior ulla via in Ec-  
 „clesia Dei unquam existimata fuit ad  
 „amovendam imminentem a Domino  
 „pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ  
 „opera homines cum vero animi dolo-  
 „re frequentent. Accedit ad hæc,  
 „quod dum satisfaciendo patimur pro  
 „peccatis, Christo Jesu, qui pro pec-  
 „catis nostris satisfecit, ex quo om-  
 „nis nostra sufficientia est, conformes  
 „efficimur; certissimam quoque inde  
 „Arrham habentes, quod si compati-  
 „mur, & conglorificabimur. Neque  
 „vero ita est nostra Satisfactio hæc,  
 „quam pro peccatis nostris exsolvimus,  
 „ut

Sæcul. XVI. ,,ut non fit per Christum Jesum, nam  
 A.C. 1551. ,,qui ex nobis tanquam ex nobis nihil  
 Hebr. c. 10. ,,possumus, eo cooperante, qui nos  
 v. 28. & 29. ,,confortat, omnia possumus: ita non  
 Rom. c. 2. ,,habet homo, unde gloriatur, sed om-  
 v. 5. & c. 5. ,,nis gloriatio nostra in Christo est, in  
 2. Joann. ,,quo vivimus, in quo meremur, in  
 c. 2. 2. Cor. ,,quo satisfacimus, facientes fructus  
 Rom. c. 8. ,,dignos poenitentiae, qui ex illo vim  
 1. Cor. c. 3. ,,habent, ab illo offeruntur Patri, &  
 Phil. c. 4. ,,per illum acceptantur a Patre: debent  
 1. Cor. c. 1. ,,ergo Sacerdotes Domini, quantum  
 Gal. c. 6. ,,Spiritus, & prudentia suggererit,  
 ,,pro qualitate criminum, & poeniten-  
 ,,tium facultate salutare, & conve-  
 ,,nientes Satisfactiones injungere, ne  
 ,,si forte peccatis conniveant, & indul-  
 ,,gentius cum poenitentibus agant, le-  
 ,,vissima quaedam opera pro gravissimis  
 ,,delictis injungendo, alienorum pec-  
 ,,catorum participes efficiantur: ha-  
 ,,beant autem præ oculis, ut Satisfa-  
 ,,ctio, quam imponunt, non sit tan-  
 ,,tum ad novæ vitæ custodiam, & in-  
 ,,firmitatis medicamentum, sed etiam  
 ,,ad præteritorum vindictam, & castiga-  
 ,,tionem, nam claves Sacerdotum non  
 ,,ad solvendum duntaxat, sed & ad li-  
 ,,gandum concessas, etiam antiqui Pa-  
 ,,tres, & credunt, & docent, nec  
 ,,propterea existimarunt Sacramentum  
 ,,poenitentiae esse forum iræ, vel poe-  
 ,,narum

narum : sicut nemo unquam catholi- Sæcul. XVI.  
 cus sensit, ex hujusmodi nostris Sa- A.C. 1551.  
 tisfactionibus vim meriti, & Satis-  
 factionis Domini nostri Jesu Christi  
 vel obscurari, vel aliqua ex parte im-  
 minui: quod dum Novatores intelli-  
 gere volunt, ita optimam pœniten-  
 tiam novam vitam esse docent, ut  
 omnem Satisfactionis vim, & usum  
 tollant.

## §. LXIII.

## CAPUT IX.

*De operibus Satisfactionis.*

Docet præterea, tantam esse divi-  
 næ munificentiae largitatem, ut  
 non solum pœnis sponte a nobis pro  
 vindicando peccato susceptis, aut Sa-  
 cerdotis arbitrio pro mensura delicti  
 impositis, sed etiam (quod maximum  
 amoris argumentum est) temporali-  
 bus flagellis a Deo inflictis, & a nobis  
 patienter toleratis, apud Deum Pa-  
 trem per Christum Jesum satisfacere  
 valeamus.

## §. LXIV.

## CAPUT X.

*De Sacramento extremæ Unctionis.*

Cum hæc capita essent absoluta, re-  
 citabatur decretum de Sacramen-  
 to extremæ unctionis, tribus capitibus  
 com-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

comprehensum, cui Synodus quasi præ-  
fationem præmisit hujus tenoris : „Vi-  
sum est Sanctæ Synodo præcedenti  
doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea,  
quæ sequuntur de Sacramento extre-  
mæ unctiōnis : quod non modo pœ-  
nitentiæ, sed etiam totius Christianæ  
vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse  
debet, consummativum existimatum  
est a Patribus : primum itaque circa  
illius institutionem declarat, & docet,  
quod clementissimus Redemptor no-  
ster, qui servis suis quovis tempore  
voluit de salutaribus remediis adver-  
sus omnia omnium hostium tela esse  
prospectum, quemadmodum auxilia  
maxima in Sacramentis aliis præpa-  
ravit, quibus Christiani conservare se  
integros, dum viverent, ab omni  
graviore Spiritus incommodo possint,  
ita extremæ Unctiōnis Sacramento fi-  
nem vitæ tanquam firmissimo quodam  
præsidio munivit, nam etsi adver-  
sus noster occasiones per omnem vi-  
tam quærat, & captet, ut devorare  
animas nostras quoquo modo possit,  
nullum tamen tempus est, quo vehe-  
mentius ille omnes suæ versutiæ ner-  
vos intendat ad perdendos nos peni-  
tus, & a fiducia etiam, si possit, di-  
vinæ misericordiæ deturbandos, quam  
cum

„cum impendere nobis exitum vitæ pro-  
„spicit. Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

## §. LXV.

## CAPUT I.

*De Institutione Sacramenti Extre-  
mæ Unctionis.*

„Instituta est autem Sacra hæc Unctio *Marc. c. 6.*  
„infirmorum, tanquam vere, & pro- *Jacob. c. 5.*  
„prie Sacramentum novi testamenti, a  
„Christo Domino nostro, apud Marcum  
„quidem insinuatam, per Jacobum au-  
„tem Apostolum, ac Domini fratrem,  
„fidelibus commendatum, ac promul-  
„gatum. *Infirmatur, inquit, quis in vo-*  
„*bis? inducat presbyteros Ecclesie, & o-*  
„*rent super eum, ungentes eum oleo in no-*  
„*mine Domini: & oratio fidei salvabit in-*  
„*firmum, & alleviabit eum Dominus: &*  
„*si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quibus  
„verbis, ut ex Apostolica traditione per  
„manus accepta, Ecclesia didicit, do-  
„cet materiam, formam, proprium  
„ministrum, & effectum hujus saluta-  
„ris Sacramenti: intellexit enim Ec-  
„clesia, materiam esse oleum ab Epif-  
„copo benedictum; nam unctio aptissi-  
„me Spiritus Sancti gratiam, qua in-  
„visibiliter anima ægrotantis inungitur,  
„repræsentat, formam deinde esse illa  
„verba: *per istam Unctionem &c.*

## §. LXVI.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

§. LXVI.

## CAPUT II.

*De effectibus ejusdem Sacramenti.*

„Res porro, & effectus hujus Sacra-  
 „menti illis verbis explicatur, &  
 „oratio fidei salvabit infirmum, & alle-  
 „viabit eum Dominus: & si in peccatis  
 „sit, dimittentur ei. Res etenim hæc  
 „gratia est Spiritus Sancti, cujus un-  
 „ctio delicta, si quæ sint adhuc expian-  
 „da, ac peccati reliquias, abstergit, &  
 „ægroti animam alleviat, & confirmat,  
 „magnam in eo divinæ misericordiæ fi-  
 „duciam excitando, qua infirmus sub-  
 „levatus, & morbi incommoda, ac la-  
 „bores levius fert, & tentationibus  
 „dæmonis, calcaneo insidiantis, fa-  
 „cilius resistit, & sanitatem corporis  
 „interdum, ubi salutem animæ expedie-  
 „rit, consequitur.

§. LXVII.

## CAPUT III.

*De Ministro hujus Sacramenti, &  
de tempore, quo administrandum est.*

„Jam vero quod attinet ad præscriptio-  
 „nem eorum, qui & suscipere, & mi-  
 „nistrare hoc Sacramentum debent,  
 „haud obscure fuit illud etiam in verbis  
 „prædictis traditum, nam & ostenditur  
 „illic, proprios hujus Sacramenti mi-  
 „nistros

„nistros esse Ecclesiæ presbyteros, quo Sæcul. XVI.  
 „nomine eo loco non ætate Seniores, A. C. 551.  
 „aut primores in populo intelligendi  
 „veniunt, sed aut Episcopi, aut Sa-  
 „cerdotes ab ipsis rite ordinati per im-  
 „positionem manuum presbyterii. De-  
 „claratur etiam esse hanc Unctionem  
 „infirmis adhibendam: illis vero præ-  
 „sertim, qui tam periculose decum-  
 „bunt, ut in exitu vitæ constituti vide-  
 „antur: unde Sacramentum exeuntium  
 „nuncupatur, quod si infirmi post sus-  
 „ceptam hanc unctionem convaluerint,  
 „iterum hujus Sacramenti subsidio ju-  
 „vari poterunt, cum in aliud simile vi-  
 „tæ discrimen inciderint.

„Quare nulla ratione audiendi sunt,  
 „qui contra tam apertam, & diluci-  
 „dam Apostoli Jacobi sententiam, do-  
 „cent hanc Unctionem, vel figmentum  
 „esse humanum, vel ritum a Patribus  
 „acceptum, nec mandatum Dei, nec  
 „promissionem gratiæ habentem: &  
 „qui illam jam cessasse asserunt, quasi  
 „ad gratiam curationum duntaxat in  
 „primitiva Ecclesia referenda esset; &  
 „qui dicunt, ritum, & usum, quem  
 „Sancta Romana Ecclesia in hujus Sa-  
 „cramenti administratione observat, Ja-  
 „cobi Apostoli sententiæ repugnare,  
 „atque ideo in alium commutandum  
 „esse; & denique, qui hanc extremam  
 „*Hist. Eccles. Tom. XLI. I* „Un-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

„Unctionem a fidelibus sine peccato  
„contemni posse affirmant : hæc enim  
„omnia manifestissime pugnant cum per-  
„spicuis tanti Apostoli verbis, nec pro-  
„fecto Ecclesia Romana, aliarum om-  
„nium Mater, & Magistra, aliud in  
„hac administranda Unctione, quan-  
„tum ad ea, quæ hujus Sacramenti  
„substantiam perficiunt, observat, quam  
„quod beatus Jacobus præscripsit : ne-  
„que vero tanti Sacramenti contemp-  
„tus absque ingenti scelere, & ipsius  
„Spiritus Sancti injuria, esse possit.

Postquam igitur Synodus in relatis  
hisce capitibus Ecclesiæ doctrinam circa  
Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis Sa-  
cramenta, necnon ea, quæ ab omni-  
bus Christi fidelibus credi vult, expo-  
suit, insuper circa eandem materiam  
Canones nunquam violanda fide ser-  
vandos, ac tenendos proponit, atque  
eos, qui contrariam opinionem propu-  
gnant, perpetuo damnat, necnon ana-  
themate notat. Percipiamus itaque  
hosce Canones, quorum quindecim Sa-  
cramentum Pœnitentiæ, quatuor vero  
duntaxat extremam unctionem concer-  
nunt.

§. LXVIII.

*Synodi Canones de Sacramento Pœ-  
nitentiæ.*

C. A.

## C A N O N I.

Sæcul XVI.

A. C. 1551.

*Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

Canon II. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

III. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorsit autem contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit.*

IV. *Si quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiae agnito peccato,*

Sæcul. XVI  
A.C. 1551. cato, & fidem conceptam ex Evangelio,  
vel absolutione, qua credit quis sibi per Chri-  
stum remissa peccata, anathema sit.

V. Si quis dixerit, eam contritionem,  
quæ paratur per discussionem, collectionem,  
& detestationem peccatorum, qua quis re-  
cogitat annos suos in amaritudine anima  
suæ, ponderando peccatorum suorum gra-  
vitatem, multitudinem, sæditatem, amif-  
sionem æternæ beatitudinis, & æternæ dam-  
nationis incursum, cum proposito melioris  
vitæ, non esse verum, & utilem dolorem,  
nec præparare ad gratiam, sed facere ho-  
minem hypocritam, & magis peccatorem,  
demum illam esse dolorem coactum, & non  
liberum, ac voluntarium, anathema sit.

VI. Si quis negaverit Confessionem Sa-  
cramentalem, vel institutam, vel ad salu-  
tem necessariam esse jure divino; aut dixe-  
rit, modum secrete confitendi soli Sacerdo-  
ti, quem Ecclesia Catholica ab initio sem-  
per observavit, & observat, alienum esse  
ab institutione, & mandato Christi, & in-  
ventum esse humanum, anathema sit.

VII. Si quis dixerit, in Sacramento  
Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum ne-  
cessarium non esse jure divino, confiteri om-  
nia, & singula peccata mortalia, quorum  
memoria cum debita, & diligenti præme-  
ditatione habeatur, etiam occulta, & quæ  
sunt contra duo ultima decalogi præcepta,  
& circumstantias, quæ peccati speciem mu-  
tant

tant, sed eam confessionem tantum esse uti-  
 lem ad erudiendum, & consolandum pœ-  
 nitentem, & olim observatam fuisse tantum  
 ad Satisfactionem Canonicam imponendam:  
 aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri  
 student, nihil relinquere velle divinæ miseri-  
 cordiæ ignoscendum, aut demum non licere  
 confiteri peccata venialia; anathema sit.

Sæc. XVI.  
 A.C. 1551.

VIII. Si quis dixerit, Confessionem  
 omnium peccatorum, qualem Ecclesia ser-  
 vat, esse impossibilem, & traditionem hu-  
 manam, a piis abolendam, aut ad eam non  
 teneri omnes, & singulos utriusque sexus  
 Christi fideles, juxta magni Concilii Late-  
 ranensis constitutionem, semel in anno, &  
 ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut  
 non consteantur tempore quadragesimæ; ana-  
 thema sit.

IX. Si quis dixerit, absolutionem Sa-  
 cramentalem Sacerdotis non esse actum ju-  
 dicialem, sed nudum ministerium pronun-  
 tiandi, & declarandi, remissa esse peccata  
 confitenti, modo tantum credat se esse ab-  
 solutum, aut Sacerdos non serio, sed joco  
 absolvat; aut dixerit non requiri confessio-  
 nem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere  
 possit; anathema sit.

X. Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in  
 peccato mortali sunt, potestatem ligandi,  
 & solvendi non habere, aut non solos Sa-  
 cerdotes esse ministros absolutionis, sed om-  
 nibus, & singulis Christi fidelibus esse di-

Sæcul XVI. A. C. 1551. *Etum* : Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata, & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo : & , quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : & quorum retinueritis, retenta sunt ; quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam Confessionem ; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat ; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, Satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse ; anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflatis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejniis, orationibus, elemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam ; anathema sit.

XIV. Si quis dixerit, Satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata

cata redimunt, non esse cultus Dei, sed tra- Sæcul. XVI.  
ditiones hominum doctrinam de gratia, & A.C. 1551.  
verum Dei cultum, atque ipsum beneficium  
mortis Christi obscurantes: anathema sit.

XV. Si quis dixerit, Claves Ecclesiæ  
esse datas tantum ad solvendum, non etiam  
ad ligandum, & propterea Sacerdotes,  
dum imponunt pœnas confitentibus, agere  
contra finem clavium, & contra institutio-  
nem Christi, & fictionem esse, quod virtu-  
te clavium, sublata pœna æterna, pœna tem-  
poralis plerumque exsolvenda remaneat; a-  
nathema sit.

§. LXIX.

Canones de Sacramento Extremæ  
Unctionis.

Postea prælegebantur sequentes qua-  
tuor Canones extremam Unctionem  
concernentes.

Canon I. Si quis dixerit, extremam  
Unctionem non esse vere, & proprie Sa-  
cramentum a Christo Domino nostro institu-  
tum, & a beato Jacobo Apostolo promul-  
gatum, sed ritum tantum acceptum a Pa-  
tribus, aut figmentum humanum; anathema  
sit.

II. Si quis dixerit, sacram infirmo-  
rum Unctionem non conferre gratiam, nec  
remittere peccata, nec alleviare infirmos,  
sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit  
gratia curationum; anathema sit.

I 4

III.



Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

III. Si quis dixerit, extremæ unctio-  
nis ritum, & usum, quem observat San-  
cta Romana Ecclesia, repugnare sententia  
beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutan-  
dum, posseque in Christianis absque peccato  
contemni; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, presbyteros Ec-  
clesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse  
ad infirmum inungendum hortatur, non esse  
Sacerdotes, sed ætate Seniores in quavis  
Communitate, ob idque proprium extre-  
mæ Unctionis ministrum non esse solum Sa-  
cerdotem; anathema sit.

§. LXX.

*Decretum de Reformatione.*

Jam supra memoravimus, quatuorde-  
cim de reformatione articulos fuisse  
fancitos, qui ferme omnes Episcopalem  
concernunt jurisdictionem: Itaque hos-  
ce articulos recensere, initium ve-  
ro ducemus ab ipsa præfatione, quam  
Synodus hisce capitibus præmisit.

*Pallav. hist.**Conc. l. 12. c.*

13.

*Labbe Coll.**Conc. tom.*

14. p. 826.

*Et seq.*

„Cum proprie Episcoporum munus  
„sit subditorum omnium vitia redargue-  
„re; hoc illis præcipue cavendum erit,  
„ne Clerici, præsertim ad animarum  
„curam constituti, criminosi sint, ne-  
„ve inhonestam vitam ipsis conniven-  
„tibus ducant, nam si eos pravis, &  
„corruptis moribus esse permittant, quo  
pacto

„pacto laicos de ipsorum vitiis redar-  
 „guent, qui uno ab eis sermone con-  
 „vinci possent, quod Clericos ipsis pa-  
 „tiantur esse deteriores? qua etiam li-  
 „bertate laicos corripere poterunt Sa-  
 „cerdotes, cum tacite sibi ipsi respon-  
 „deant, eadem se admisisse, quæ cor-  
 „ripiunt? monebunt propterea Episco-  
 „pi suos Clericos, in quocunque ordi-  
 „ne fuerint, ut Conversatione, sermo-  
 „ne, & Scientia commisso sibi Dei po-  
 „pulo præeant, memores ejus, quod  
 „scriptum est: *Sancti estote, quia & ego*  
 „*Sanctus sum*: & juxta Apostoli vocem,  
 „*neini dent ullam offensionem, ut non vi-*  
 „*tuperetur ministerium eorum, sed in om-*  
 „*nibus exhibeant se sicut Ministros Dei, ne*  
 „*illud Prophetæ dictum impleatur in*  
 „*eis: Sacerdotes Dei contaminant Sancta,*  
 „*& reprobant legem.* Ut autem ipsi E-  
 „piscopi id liberius exequi, ac quo-  
 „quam prætextu desuper impediri ne-  
 „queant; eadem Sacrosancta Oecu-  
 „menica, & generalis Tridentina Sy-  
 „nodus, præsidentibus in ea eisdem  
 „Apostolicæ Sedis Legato, & Nuntiis,  
 „hos, qui sequuntur Canones, statuen-  
 „dos, & decernendos duxit.

Sæc. XVI.

A.C. 1551.

*Levit. c. 19.*  
*2. Cor. cap. 6.*

*Ezech. c. 42.*

§. LXXI.

CAPUT I.

De promovendis ad Ordines.

I 5

„Cum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

„Cum honestius, ac tutius fit subiecto,  
„debitam Præpositis obedientiam  
„impendendo, in inferiori ministerio  
„deservire, quam cum Præpositorum  
„scandalo graduum altiorum appetere  
„dignitatem, ei, cui ascensus ad Sa-  
„cros Ordines a suo Prælato ex qua-  
„cunque causa, etiam ob occultum  
„crimen, etiam extrajudicialiter fue-  
„rit interdictus, aut qui a suis Ordini-  
„bus, seu gradibus, vel dignitatibus  
„Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla  
„contra ipsius Prælati voluntatem con-  
„cessa licentia de se promoveri facien-  
„do, aut ad priores Ordines, gradus,  
„& dignitates, sive honores, restitui-  
„tio suffragetur.

Ceterum Episcoporum sollicitudo  
eo collimabat, ut suam auctoritatem  
recuperarent, quam tamen eisdem eo  
minorem, ac poterant, attribuere sa-  
tagebant Synodi Præsides (\*) Verum  
tam hi, quam illi adeo speciosos, at-  
que æquitati, & legibus consonos alle-  
gabant

(\*) Hi Præsides ipsimet erant Episcopi  
suæ auctoritatis Episcopalis tenaces, ac vin-  
dices, proin duntaxat quibusdam Episcopis  
sibi non tantum Episcopalem, sed & Pontifi-  
ciam auctoritatem arrogare nitentibus obli-  
scebant.

gabant obtentus, ut una omnes nil nisi Sæcul. XVI.  
 Dei gloriam, atque Disciplinæ Eccle- A.C. 1551.  
 siasticæ incrementum respicere viderentur; nam Episcopi non abs re que-  
 rebantur de dispensationibus, & gratiis a Curia Romana frequenter concessis, quibus Episcopalem potestatem reddi nullam, suamque dignitatem vilipendi aiebant; quotiescunque enim hi quempiam ad sacros Ordines admittere recusabant, vel propter justas, æque ac necessarias causas sibi cognitæ cuidam Sacerdotum Ordinum suorum exercitium interdicere volebant, aut aliquem Ecclesiasticum ad superiorem dignitatem evehere renuebant, tunc Curia Romana ea, quæ ipsis Episcopi denegabant, iisdem concedebat, id vero ad Episcopalis auctoritatis imminutionem, atque integram disciplinæ everisionem tendere existimabant. Hanc ob rem sancitum, ut imposterum ejusmodi concessiones, ac dispensationes nullius essent valoris: Verum Præsides ad tuendam Sedis Apostolicæ existimationem nullatenus admittere volebant, ut summus Pontifex, aut supremus Pœnitentiarius, vel ceteri Curie Romanæ Ministri, qui ejusmodi permissiones concedere solent, speciatim nominarentur.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

§. LXXII.

## CAPUT II.

*De limitata potestate Episcoporum in partibus.*

„Quoniam vero nonnulli Episcopi Ec-  
„clesiarum, quæ in partibus infi-  
„delium consistunt, Clero carentes, &  
„populo Christiano, cum fere vaga-  
„bundi sint, & permanentem Sedem  
„non habeant, non quæ Jesu Christi,  
„sed alienas oves incio proprio Pastro-  
„re quærentes, dum per hanc Sanctam  
„Synodum se pontificalia officia in al-  
„terius diœcesi, nisi de loci Ordinarii  
„expressa licentia, & in personas eidem  
„Ordinario subjectas tantum, exercere  
„prohibitos vident; in legis fraudem &  
„contemptum, quasi Episcopalem Ca-  
„thedram in loco nullius Diœcesis sua  
„temeritate eligunt, & quoscunque ad  
„se venientes, etiam si suorum Episco-  
„porum, seu prælatorum literas com-  
„mendatitias non habeant, Clericali  
„charactere insignire, & ad Sacros  
„etiam presbyteratus Ordines promove-  
„re præsumunt, quo plerumque fit,  
„ut minus idonei, & rudes, ac ignari,  
„& qui a suo Episcopo tanquam inha-  
„biles, & indigni rejecti fuerunt, ordi-  
„nati, nec divina officia peragere, nec  
„Ecclesiastica Sacramenta recte valeant  
„mi-

„ministrare: nemo Episcoporum, qui <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 „titulares vocantur, etiamsi in loco <sup>A.C. 1551.</sup>  
 „nullius Diœcesis, etiam exempto, aut  
 „aliquo monasterio cujusvis Ordinis re-  
 „sederint, aut moram traxerint, vi-  
 „gore cujusvis privilegii sibi de promo-  
 „vendo quoscunque ad se venientes pro  
 „tempore concessi, alterius subditum,  
 „etiam prætextu familiaritatis & conti-  
 „nuæ commensalitatæ suæ, absque sui  
 „proprii prælati expresso consensu, aut  
 „literis dimissoriis, ad aliquos Sacros,  
 „aut minores Ordines, vel primam ton-  
 „suram promovere, seu ordinare valeat.  
 „Contra faciens ab exercitio Pontifica-  
 „lium per annum; taliter vero promo-  
 „tus, ab executione Ordinum sic sus-  
 „ceptorum, donec suo Prælato visum  
 „fuerit, ipso jure sint suspensi.

Hi Episcopi, quos *titulares* vocant,  
 hac potestate utebantur suffulti privile-  
 gio a Papa ipsis concessio, vi cujus sin-  
 gulis ad eos venientibus Sacros Ordi-  
 nes conferendi facultatem habebant.  
 Porro id in hoc capite fuit prohibitum,  
 ea lege, ne ob Sedis Apostolicæ reve-  
 rentiam ejusmodi Privilegii Auctor no-  
 minaretur. Equidem saniores Episco-  
 pi probe perspexerant, quod cuncta hæc  
 nec robur, nec firmitatem sint obten-  
 tura, potissimum eo nomine, quod  
 juxta Juris Canonici peritorum decla-  
 rationem

Sæcul. XVI. rationem concessiones, ac privilegia a  
A.C. 1551. Pontificibus data nunquam generalibus  
 vocibus comprehendantur, nisi saltem  
 illorum distincta, ac specialis fiat men-  
 tio. Nihilominus ob virium imbecilli-  
 tatem aquieverunt, spe freti, se pro-  
 gressu temporis ampliora impetraturos.

## §. LXXIII.

## CAPUT III.

*De Clericis ab alieno Episcopo ad  
Ordines promotis.*

„Episcopus suos Clericos, præsertim  
 „in sacris constitutos, absque suo  
 „præcedenti examine, & commenda-  
 „titiis literis, quacunque auctoritate  
 „promotos, licet tanquam habiles ab  
 „eo, a quo ordinati sunt, probatos,  
 „quos tamen ad divina officia celebra-  
 „nda, seu Ecclesiastica Sacramenta mi-  
 „nistranda minus idoneos, & capaces  
 „repererit, a susceptorum Ordinum  
 „exercitio ad tempus, de quo ei vi-  
 „debitur, suspendere, & illis, ne inal-  
 „tari, aut aliquo Ordine ministrent,  
 „interdicere possit.

## §. LXXIV.

## CAPUT IV.

*De Episcoporum jure corrigendi Cle-  
ricos.*

„Omnes

„Omnes Ecclesiarum Prælati, qui Sæc XVI. A.C. 1551.  
 „ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent, &  
 „a quibus nullus Clericus per hujus  
 „Sanctæ Synodi statuta, cujusvis pri-  
 „vilegii prætextu, tutus censetur, quo  
 „minus juxta Canonicas Sanctiones vi-  
 „sitari, puniri, & corrigi possit; si in  
 „Ecclesiis suis resederint, quoscumque  
 „sæculares Clericos, qualitercumque  
 „exemptos, qui alias suæ jurisdictioni  
 „subessent, de eorum excessibus, cri-  
 „minibus, & delictis, quoties, & quan-  
 „do opus fuerit, etiam extra visitatio-  
 „nem, tanquam ad hoc Apostolicæ Se-  
 „dis delegati, corrigendi, & castigan-  
 „di facultatem habeant, quibuscunque  
 „exemptionibus, declarationibus, con-  
 „suetudinibus, Sententiis, juramentis,  
 „concordiis, quæ suos tantum obligent  
 „auctores, ipsis Clericis, ac eorum  
 „consanguineis, capellanis, familiari-  
 „bus, procuratoribus, & aliis quibus-  
 „libet, ipsorum exemptorum contem-  
 „platione, & intuitu, minime suffra-  
 „gantibus.

Eandem quoque potestatem Gallia-  
 rum Reges in omnibus, quæ discipli-  
 nam, ac correctionem tangunt, attri-  
 buunt Episcopis, omnesque Superio-  
 rum sententiæ semper executioni man-  
 dantur, atque appellationes nunquam  
 sunt,



Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

funt, ut vocant, suspensivæ, sed devolutivæ, eoquod absque hoc remedio Clericorum corruptelæ in Francia corrigi haud possent. Porro disciplinæ, ac correctionis causæ vocantur illæ, quæ in personalibus consistunt accusationibus, ubi agitur de præpediundo scandalo, quod immineret Ecclesiæ, si res in pristino statu relinqueretur, sicuti fieri solet, quando necessitas cogit, ut quidam Sacerdos publice impius a Missæ celebratione arceatur, tunc id prompte fieri oportet, ne scandali periculum eveniat: si vero obtineat sententia definitiva, illius executio differtur appellatione, sicut si ejusmodi Sacerdos damnaretur ad triremes. Ceterum ante hanc Synodum Episcopis manus erant quasi ligatæ; cum enim Clericum castigare vellent, ab Episcoporum sententia appellabatur, eaque provocatio *suspensivum*, ut vocant, operabatur effectum. Ergo Synodus Episcopis liberas agendi manus concessit.

§. LXXV.

CAPUT V.

*De literis conservatoriis, ac Conservatorum juribus.*

„Cum nonnulli, qui sub prætextu,  
„ quod super bonis, & rebus, ac  
„juri-

„juribus suis diversæ eis injuriæ, ac Sæcul. XVI.  
 „molestiæ inferantur, certos judices per A.C 1551.  
 „litteras conservatorias deputari obti-  
 „nent, qui illos a molestiis, & injuriis  
 „hujusmodi tueantur, ac defendant,  
 „& in possessione seu quasi, bonorum,  
 „rerum ac jurium suorum manutene-  
 „ant, & conservent, nec super illis  
 „eos molestari permittant, ejusmodi  
 „litteras in plerisque contra conceden-  
 „tis mentem in reprobum sensum detor-  
 „queant: idcirco nemini omnino, cu-  
 „juscunque dignitatis, & conditionis  
 „sit, etiam si capitulum fuerit, conser-  
 „vatoriæ literæ cum quibuscunque clau-  
 „sulis, aut decretis, quorumcunque  
 „judicum deputatione, quocunque e-  
 „tiam alio prætextu, aut colore con-  
 „cessæ, suffragentur ad hoc, ut coram  
 „suo Episcopo, sive alio Superiore Or-  
 „dinario, in criminalibus, & mixtis  
 „caussis accusari, & conveniri, ac con-  
 „tra eum inquiri, & procedi non pos-  
 „sit, aut quo minus, si qua jura ei ex  
 „cessione competierint, super illis libe-  
 „re valeat apud judicem Ordinarium  
 „conveniri. In civilibus etiam caussis,  
 „si ipse actor extiterit, aliquem ei apud  
 „suos conservatores judices in judicium  
 „trahere minime liceat. Quod si in iis  
 „caussis, in quibus ipse reus fuerit, con-  
 „tingerit, ut electus ab eo conservator  
 „

Sæcul XVI.  
A.C. 1551.

„ab actore suspectus esse dicatur, aut si  
„qua inter ipsos iudices, conservato-  
„rem, & Ordinarium, controversia fue-  
„rit, nequaquam in causa procedatur,  
„donec per arbitros in forma juris ele-  
„ctos, super suspicione, aut iurisdic-  
„tionis competentia fuerit iudicatum:  
„familiaribus vero ejus, qui hujusmo-  
„di literis conservatoriis tueri se solent,  
„nihil illæ profint, præterquam duo-  
„bus duntaxat: si tamen illi propriis  
„ejus sumptibus vixerint. Nemo etiam  
„similium literarum beneficio ultra quin-  
„quennium gaudere possit. Non liceat  
„quoque conservatoribus iudicibus ul-  
„lum habere tribunal erectum: in caus-  
„is vero mercedum, aut miserabilium  
„personarum, hujus Sanctæ Synodi su-  
„per hoc decretum in suo robore per-  
„maneat. Universitates autem gene-  
„rales, ac collegia doctorum, seu Scho-  
„larium, & regularia loca, nec non  
„hospitalia actu hospitalitatem servan-  
„tia, ac Universitatum, Collegiorum,  
„locorum, & hospitalium hujusmodi  
„personæ, in præsentī Canone minime  
„comprehensæ, sed exemptæ omnino  
„sint, & esse intelligantur.

2. Sess. cap.  
14. de ref.

Cum rescriptorum Papalium exe-  
cutio, quando gratiæ & privilegia con-  
ceduntur, semper selectis Viris sit re-  
servata,

servata, hinc summi Pontifices consti-  
 tuebant Conservatores, qui supplicum  
 jura tuerentur. Porro horum Conser-  
 vatorum auctoritas, ac potestas erat  
 amplior, magisque honorifica, quan-  
 do adhuc jurisdictio Ecclesiastica fuit  
 magis extensa, unde etiam illi ad pri-  
 vilegia contra Ordinariorum vexatio-  
 nes tuenda magis erant necessarii, dum  
 vero in Galliis obtinuit consuetudo, ut  
 causæ Ecclesiasticæ ad Parlamentum  
 tanquam ad Judicem superiorem a judi-  
 ce non legitimo devolverentur, tunc ho-  
 rum Conservatorum jurisdictio cessare  
 cœperat, ac præprimis Anno Domini  
 millesimo quingentesimo nono Ludovi-  
 cus XII. Galliarum Rex illorum pote-  
 statem plurimum restringebat, postea  
 vero Anno Salutis nostræ millesimo  
 quingentesimo decimo quinto Francis-  
 cus I. Regio diplomate cavit, ne Apo-  
 stolicus Conservator ullum jus, juris-  
 dictionem, vel criminalium causarum  
 cognitionem exercere, vel Electionum  
 confirmationem, matrimoniorum, Sa-  
 cramentorum, vel appellationum cau-  
 sas in se suscipere præsumeret. Verum  
 de pristino usu Synodus nihil immutaf-  
 se videtur, eoquod duntaxat hujus rei  
 abusum sustulerit, atque Episcopis  
 quamdam auctoritatem, qua antea ca-  
 rebant, attribuerit.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.

K 2

§. LXXVI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

§. LXXVI.

CAPUT VI.

*Clerici decentem Ordinis sui vestem  
gestare tenentur.*

*Etsi habitus non faciat Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant: tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem, & honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes Ecclesiasticæ personæ, quantumcunque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia quælibet Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem illorum Ordini, & dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi Ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio, & beneficio, & fructibus, redditibus, & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum hujusmodi, coerceri possint, & debeant, constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam,*

quæ incipit, quoniam, innovando, & <sup>Sæcul. XVI.</sup> ampliando. A.C. 1551.

Hæc Constitutio ait: Quoniam qui ab-  
jectis vestibus proprio congruentibus Ordini,  
alias sumere, & in publico portare rationa-  
bili causa cessante præsumit, professorum  
illius Ordinis prærogativa se reddit indig-  
num, præsentis constitutione sancimus, quod  
quicumque Clericus virgata, vel partita  
veste publice utetur (nisi causa rationabilis  
subsit) si beneficiatus extiterit, per sex  
menses a perceptione fructuum beneficiorum,  
quæ obtinet, sit eo ipso suspensus.

Porro quoad hoc Synodus Viennen-  
sis differt a Tridentina, quæ petit, ut  
Clerici prius ab Episcopo suo moniti fue-  
rint: Si vero, prosequuntur verba huius  
Constitutionis, Beneficiatus non fuerit,  
in Sacris tamen Ordinibus citra Sacerdo-  
tium constitutus, per idem tempus reddatur  
eo ipso inhabilis ad Ecclesiasticum beneficium  
obtinendum: idem quoque censemus de Cleri-  
cis aliis vestem talem simul, & tonsuram  
publice deferentibus clericalem: dignitatem  
vero, personatum, seu beneficium aliud ob-  
tinens, cui cura immineat animarum, nec  
non cæteri in Sacerdotio constituti, ac re-  
ligiosi quilibet, quos oportet per decentiam  
habitus extrinseci, morum intrinsecam ho-  
nestatem ostendere, si (præterquam ex causa  
rationabili) publice vestem ferant huiusmodi,  
aut insulam, seu pileum lineum publice por-  
tent

Sæcul. XVI. *tent in capite, sint eo ipso beneficiati videli-*  
A.C. 1551. *cet a perceptione fructuum beneficiorum, quæ*  
*obtinent, suspensi per annum: Cæteri vero*  
*Sacerdotes, & religiosi quilibet, per idem*  
*tempus reddantur inhabiles ad quodcunque be-*  
*neficium Ecclesiasticum obtinendum, sed &*  
*tales, & cæteri quicumque Clerici utentes*  
*epitogio, seu tabardo foderato usque ad*  
*oram & ita brevi, quod vestis inferior no-*  
*tabiliter videatur: epitogium ipsum secular-*  
*es Clerici, & Religiosi administrationem*  
*habentes, teneantur intra mensem dare pau-*  
*peribus: cæteri vero Religiosi administratio-*  
*nem non habentes, intra idem tempus illud*  
*teneantur suis Superioribus assignare, in pios*  
*usus aliquos convertendum. Alioquin be-*  
*neficiati suspensionis, cæteri vero inhabilita-*  
*tis pœnas prædictas, per idem tempus se no-*  
*verint incurrisse.*

## §. LXXVII.

## CAPUT VII.

*De homicidio voluntario, ac non vo-*  
*luntario.*

„Cum etiam, qui per industriam oc-  
 „ciderit proximum suum, & per  
 „insidias, ab altari avelli debeat, qui  
 „sua voluntate homicidium perpetra-  
 „verit, etiamsi crimen id nec ordine  
 „judiciario probatum, nec alia ratione  
 „publicum, sed occultum fuerit, nullo  
 „tem-

„tempore ad sacros Ordines promoveri Sæcul. XVI.  
 „possit; nec illi aliqua Ecclesiastica A. C. 1551.  
 „beneficia, etiamsi non curam habeant  
 „animarum, conferre liceat, sed omni  
 „ordine, ac beneficio, & officio Ec-  
 „clesiastico perpetuo careat: si vero  
 „homicidium non ex proposito, sed ca-  
 „su, vel vim vi repellendo, ut quis se  
 „a morte defenderet, fuisse commissum  
 „narratur: quam ob causam etiam ad  
 „Sacrorum Ordinum, & altaris mini-  
 „sterium, & beneficia quæcunque, ac  
 „dignitates, jure quodammodo dispen-  
 „satio debeatur, committatur loci Or-  
 „dinario, aut ex causa Metropolitana-  
 „no, seu viciniore Episcopo; qui non-  
 „nisi causa cognita, & probatis preci-  
 „bus, ac narratis, nec aliter, dispen-  
 „sare possit.

§. LXXVIII.

CAPUT VIII.

*De alienis Clericis non puniendis, ac  
judicandis.*

„Præterea, quia nonnulli, quorum  
 „etiam aliqui veri sunt pastores, ac  
 „proprias oves habent, alienis etiam  
 „ovibus præesse quærunt, & ita alie-  
 „nis subditis quandoque intendunt, ut  
 „suorum curam negligant: quicumque,  
 „etiam Episcopali præditus dignitate,  
 „qui alienos subditos puniendi privile-  
 „gium



Sæcul. XVI

A.C. 1551.

„gium habuerit, contra Clericos sibi  
 „non subjectos, præsertim in Sacris  
 „constitutos, quorumcunque etiam at-  
 „rocium criminum reos, nisi cum pro-  
 „prietarii ipsorum Clericorum Episcopi, si  
 „apud Ecclesiam suam resederit, aut  
 „personæ ab ipso Episcopo deputandæ  
 „interventu, nequaquam procedere de-  
 „beat: alias processus, & inde secuta  
 „quæcunque viribus omnino careant.

Censebant Patrum nonnulli, quod  
 Episcopalis auctoritas adhucdum im-  
 pediretur per quosdam Prælatos, qui  
 auctoritatem sibi in locis, ubi moraban-  
 tur, conciliaturi, ibidem Clericos pu-  
 niendi licentiam a Papa obtinebant,  
 quinimo quidam etiam Episcopi ejus-  
 modi facultatem impetrabant, quæsi-  
 to obtentu, quod proximarum diæce-  
 sium Sacerdotes perverso exemplo suos  
 Presbyteros seducerent. Non deerant  
 tamen Præfulum nonnulli, qui omnes  
 hæc facultates minus legitimas revo-  
 cari ardentè desiderabant, cum vero  
 hoc absque Cardinalium, ac plurimo-  
 rum Præfulum magis potentum, qui  
 hac auctoritate abutebantur, offensio-  
 ne fieri haud posset, hinc media ince-  
 debatur via, adeo, ut ipsis hæc pote-  
 stas salva maneret, absque tamen Epis-  
 copi præjudicio, fanciebatur enim,  
 quod *ejusmodi Prælati absque proprii ipso-  
 rum*

rum Clericorum Episcopi, aut personæ ab ipso Episcopo deputandæ interventu procedere nequeant.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

## §. LXXIX.

## CAPUT IX.

*Beneficia unius Diœcesis non uniantur beneficiis alterius.*

Quia autem jure optimo distinctæ fuerunt Diœceses, & Parochiæ, ac unicuique gregi proprii attributi pastores, & inferiorum Ecclesiarum Rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut una, & eadem Ecclesia duarum quodammodo Diœcesium fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint: beneficia unius Diœcesis, etiamsi parochiales Ecclesiæ, Vicariæ perpetuæ, aut simplicia beneficia, seu præstimonialia, aut præstimonialia portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum, aut numerum beneficiatorum, aut alia quacunque de causa, alterius Diœcesis beneficio, aut monasterio seu Collegio, vel loco etiam proprio, perpetuo non uniantur, decretum hujus Sanctæ Synodi super hujusmodi Unionibus in hoc declarando.

Hoc decretum, quod Synodus allegat, habetur in Sessionis septimæ

Sæc. XVI. capite sexto de Reformatione, ubi agitur de unione perpetua beneficiorum, quamvis autem diversarum Diœcesium beneficia uniri ibidem prohibeatur, nihilominus plura exempla huic decreto contraria occurrunt. Ceterum nunquam duæ uniuntur Parochiales Ecclesiæ, ne Diœceses commisceantur, vel idem Parochus duobus Episcopis sit simul subjectus, sicut nec etiam, absque facta legis gratia, duo beneficia suorum, ac diversorum ordinum, minus vero beneficium Patronatus Ecclesiastici cum alio, in quod Jus Patronatus competit Laico, uniri permittitur.

§. LXXX.

C A P U T. X.

*Beneficia regularia regularibus concedantur.*

„Regularia beneficia, in titulum regularibus professis provideri consueti, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosi tantum illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino, lanaque contextam induant, conferantur.

Hæc

Hæc regula : *Regularia Regularibus*, Sæcul. XVI.  
*saecularia saecularibus* duabus innititur rationibus, quarum primam adstruit necessitas fundatorum voluntatem exequendi, altera vero innititur decentiæ, cum minus deceat, quod homines diversæ professionis, ac habitus ejusdem Ecclesiæ Regimini præsent: quapropter eadem Synodus capite vigesimo primo monet *Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate, & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos conventus habent, regulares personæ, ejusdem Ordinis expresse professi, & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiantur: quæ vero in posterum vacabunt, non nisi Regularibus spectatæ virtutis, & Sanctitatis conferantur: quoad ea vero monasteria, quæ Capita sunt, ac Primates Ordinum, sive Abbatia, sive Prioratus, filia illorum Capitem nuncupantur; tenentur illi, qui in præsentia ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere: alias commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur.*

Verum quamvis Laici beneficia regularia in titulum possidere nequeant, poterunt tamen ea obtinere in commendam, quinimo Regulares pariter, acce-

A C. 1551.

Sæc. XVI. accedente legis gratia , sæcularia bene-  
 A.C. 1551. ficia tenere possunt , prout pluribus e-  
 xemplis comprobatum exstat.

§. LXXXI.

C A P U T XI.

*De Regularibus ab uno Monasterio ad  
 aliud transeuntibus.*

„Quia vero Regulares de uno ad a-  
 „lium Ordinem translati , facile  
 „a suo Superiore licentiam standi extra  
 „monasterium obtinere solent , ex quo  
 „vagandi , & apostatandi occasio tri-  
 „buitur : nemo cujuscunque ordinis  
 „prælati , vel Superior , vigore cujus-  
 „cunque facultatis aliquem ad habitum,  
 „& professionem admittere possit , nisi  
 „ut in ordine ipso , ad quem transfertur,  
 „sub sui Superioris obedientia in clau-  
 „stro perpetuo maneat , ac taliter trans-  
 „latus , etiam si Canonorum regula-  
 „rium fuerit , ad beneficia sæcularia,  
 „etiam curata , omnino incapax exi-  
 „stat.

Nihilominus Innocentius III. in sua  
 Constitutione , quæ incipit , *licet quibus-  
 dam , extra , de regularibus* concedit his  
 ipsis , quod , postquam a suo Prælato li-  
 centiam transeundi ad arctiorem Religionem  
 postulaverint , libere possint Sanctioris vite  
 propositum adimplere , non obstante indis-  
 creti

*creti Prælati contradictione.* Porro ex Sæcul. XVI. A.C. 1551.  
 illis verbis, quæ Synodus de Canonicis Regularibus loquens in hujus capituli fine adjecit, coniiiciunt nonnulli juris Canonici Doctores, quod hi nullum beneficium sæculare absque dispensatione possidere valeant, ac proin per concordatum fuerit abrogata Innocentii III. Constitutio, quæ incipit, *quod Dei timorem*, vi cujus Parochias possidendi jus obtinuerunt, alii ex aduerso propugnant, quod Canonici Regulares ex jure Communi ejusmodi beneficia possidendi jure gaudeant, nec ulla dispensatione indigeant.

§. LXXXII.

CAPUT XII.

*De jure Patronatus.*

„Nemo etiam, cujusvis dignitatis  
 „ Ecclesiasticæ, vel sæcularis, quacunque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium, aut capellam de novo fundaverit, & extruxerit; seu jam erectam, quæ tamen sine sufficiente dote fuerit, de suis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit; jus patronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat: in casu autem foundationis, aut dotationis hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori, reservetur.

LXXXIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

§. LXXXIII.

CAPUT XIII.

*De Præsentationibus Ordinario faciendis.*

„ Non liceat præterea patrono, cujus-  
 „ vis privilegii prætextu, aliquem  
 „ ad beneficia sui juris patronatus, nisi  
 „ Episcopo loci Ordinario, ad quem  
 „ provisio, seu institutio ipsius beneficii,  
 „ cessante privilegio, jure pertineret,  
 „ quoquo modo præsentare: alias præ-  
 „ sentatio, ac institutio forsan secutæ  
 „ nullæ sint & esse intelligantur.

Ex hoc Capite infertur, quod nul-  
 lus ex illis, qui vel a Papæ Nuntio,  
 vel alio quocunque ad aliquod benefi-  
 cium fuere electi, nominati, aut præ-  
 sentati, institui, confirmari, aut reci-  
 pi sub cujuscumque privilegii obtentu  
 valeat, nisi prius ab Ordinario loci sit  
 rite examinatus, atque idoneus ad tale  
 Officium repertus, quin ulli exceptis  
 iis, qui ab Universitatibus sunt præsen-  
 tati, ad declinandum ejusmodi examen  
 appellatio suffragetur. Quinimo, et si  
 præter Episcopum aliis, ut puta Abba-  
 tibus, vel Prioribus, institutio compe-  
 tat, nihilominus semper Episcopis in-  
 stituendos examinandi auctoritas tri-  
 buatur, atque ipse singulos a Patronis  
 præsentatos, si minus idoneos repere-  
 rit,

rit, reiicere valeat. Eapropter Fun- Sæcul. XVI.  
 dadores, seu Patroni illos, quos ad ob- A.C. 1551.  
 tinendum beneficium vacans selegerunt,  
 Ordinario præsentant, & Patronis Lai-  
 cis ad præsentandum quatuor conce-  
 duntur menses, illisque integrum est,  
 ut suam mutare valeant sententiam, at-  
 que alium nominare possint, si primum  
 minus idoneum experti fuerint. Ex  
 aduerso Patronis Ecclesiasticis semestre  
 quidem conceditur, mutandi tamen li-  
 bertas denegatur; elapso enim seme-  
 stris tempore, si præsentati minus digni  
 reputantur, nominandi jus pro hac vi-  
 ce a Patronis ad Superiorem devolvi-  
 tur. Ceterum soli Ecclesiastici, non  
 autem Patroni Laici a Papa præveniri  
 possunt, ipsaque, ut vocant, præsentatio  
 coram Scriba per publicum instru-  
 mentum rata habenda est. (\*)

§. LXXXIV.

C A P U T XIV.

*De articulis in proxima Sessione agi-  
 tandis.*

„De-

(\*) Hæc nullatenus priscis S. Conciliis,  
 atque Universalis Ecclesiæ usui, & discipli-  
 næ consona esse censeat benevolus Lector,  
 minus vero Oecumenicæ, ac legitimæ cjujus-  
 dam Synodi decreta, atque auctoritatem ab  
 unius particularis Ecclesiæ acceptance, vel  
 repugnantia dependere existimet.



Sæcul. XVI  
A.C. 1551.

„Declarat præterea S. Synodus, in  
„futura Sessione, quam ad vige-  
„simum quintum diem Januarii subse-  
„quentis anni millesimi quingentesimi  
„quingentesimi secundi habendam esse  
„jam decrevit, una cum Sacrificio Mis-  
„sæ, agendum, & tractandum esse de  
„Sacramento Ordinis, & prosequen-  
„dam esse materiam reformationis.

Hæc sunt præcipua, quæ in hac  
Sessione fuere agitata, quorum acta  
Massarellus, qui Concilio a secretis  
erat, conscripsit, tres vero Synodi  
Præfides, Madrutius Cardinalis, sex  
Archiepiscopi, triginta quatuor Anti-  
stites, quatuor Abbates, seu Ordinum  
Generales præter tres Cæsaris, & duos  
Romanorum Regis Oratores chirogra-  
pho suo firmarunt. Intererant quoque  
duo Brandenburgici Electoris Legati,  
nec tamen ex Gallis vel unicus adfuis-  
se legitur, cum Henricus II. Franciæ  
Rex ob Parmensem Ducatum tunc Pa-  
pam bello lacefferet, quod tamen bre-  
vi finiebatur.

*Memoir de  
Vargas  
lettre a  
l'Eveque  
d'Arras du  
26. Nov. Et  
memoire de  
l'Eveque  
d'Orense p.  
245. Et 265.*

§. LXXXV.

*Virodunensis Episcopus a Legato  
minus benigne exceptus.*

Ceterum Reformationis articuli non  
omnibus æque probabantur; cum  
enim

enim Crescentius Legatus in nupero Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
 conventu ante Sessionem habito disciplinæ emendatæ articulos recitaret, atque inter ceteros caput illud, quo commendæ manifeste approbabantur, a reliquis acceptari vellet, incassum laborabat; non deerant enim Præsulum nonnulli, qui se huic articulo nunquam subscripturos palam profitebantur: hos inter Nicolaus Psalmæus Virodunensis Episcopus edicebat, quod hæc reformatio inutilis, Synodo indigna, ac præsentis temporis vicissitudini minus congrua foret, ac commendarum usus omnia Ecclesiastica bona absumeret: nec his contentus erat Psalmæus, insuper incautius ex ipsius ore excidebat, quod proposita reformatio non nisi frivole jactata audiret morum emendatio, quapropter Legatus in hujus Viri temeritatem insurgens eundem asperioribus, atque injuriosis, necnon verbis reverentiæ horum confessui debitæ contrariis alloquebatur. Hanc agendi rationem plures Episcopi, ac præcipue Doctores ægre ferebant, evolutis tamen aliquot diebus Virodunensis Episcopus, cum illum suffragandi ordo tangeret, hujus occasionis opportunitate usum culpam sibi a Legato in confesso impartitam, ut mox retulimus, diluere parabat: ast Legatus illum excipere de-

L dig-

*Hist. Eccles. Tom. XI. I.*

Sæcul. XVI. dignatus præcepit, ut nonnisi de rebus  
A.C. 1551. ipsi propositis verba faceret. (\*)

## §. LXXXVI.

*Hispanorum postulata circa morum  
 emendationem.*

Cum insuper Franciscus Toletanus Legatum impense rogaret, ne decreto quicquam in præjudicium jurium Regni Hispanici infereretur, Legatus huic Oratori respondit: „equidem Episcopis permittitur, ut suas sententias proferant de mediis, quæ ad tollenda obstacula Prælatorum residentiam præpedientia magis necessaria censentur: verum ea, quæ modum excedunt, haud petant, sed potius ea postulent, quæ concedere honestas suadet.” Hæ Episcoporum sententiæ tradebantur Francisco Toletano, qui eas ad unum articulum redigens Legato consignabat, quam-

---

(\*) Mirum sane, quod Nicolaus Pissæus in sua collectione Actorum Concilii Tridentini de conficta hac injuria ipsi a Legato illata nullam omnino mentionem fecerit: præterea epistolæ unius privati ad alium scriptæ, cum plerumque privatis etiam odiis obnoxie sint, vix tantam merentur fidem, ut in illis contenta pro veritate minime dubia venditentur.

quamvis nunquam publici juris fierent: interim id unice ex Francisci Vargas literis compertum habemus, ab Episcopis fuisse petatum, ut restauratis Provincialibus Conciliis beneficia conferendi jus solis Episcopis, excluso Pontificis consensu adfriberetur. Recitat insuper idem Vargas Regii Senatus Castellani literas, in quibus de pluribus corruptelis quærelæ ingeminantur, simulque Carolus V. Imperator sollicitatur, ut horum abusuum correctionem a Papa postularet. Hos inter recensentur beneficiorum curatorum, ut vocant, pluralitas, Commendæ, Coadjutoriæ, plurium beneficiorum unio ad dies vitæ, regressus, expectativæ, beneficia jure quasi hæreditario aucupandi artes, secretæ, ac dolosæ resignationes, beneficia exteris conferendi usus, exemptiones ab Ordinarii jurisdictione, ac denique Judices Conservatores eligendi privilegium Ecclesiasticis coetibus concessum. Insuper postulabatur, ut Papa Inquisitionis Officium sua fulciret auctoritate, nihilque illius firmitati contrarium concederet.

## §. LXXXVII.

*Reformationis articuli Hispani Oratoris impulsu suppressi.*

Præterea probe notandum, quod inter

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

ter reformationis articulos a Legato in  
nupera Sessione vigesimo quinto No-  
vembris die propositos quinque adjecta  
fuerint capita circa Ecclesiarum, & Ec-  
clesiasticorum immunitatem: cum ve-  
ro Franciscus Toletanus hisce articulis  
quasdam leges ab Hispaniæ Regibus  
pro tuenda eorum auctoritate, ac ju-  
risdictione Regia conditas labefactari  
crederet, rem ita instruxit, ut præfata  
quinque capita delerentur. Ea recen-  
set Franciscus Vargas in quadam epi-  
stola ad Atrebatensem Episcopum die  
vigesima sexta Novembris; seu pridie ad  
Sessionem data: erant autem sequentia:  
I. Si simplex Clericus recepta prima  
tonsure aliis vestibus, quam Clericali  
statui congruis, vel ab Episcopo præ-  
scriptis indutus incedat, a Judice pro-  
fano æque, ac Laicus castigari poterit.  
II. Tonsuratus, si crimen commiserit,  
Clericorum privilegio non gaudeat in  
iis delictis, quæ ante tonsuram perpe-  
travit: III. Clerici uxorati in causis  
criminalibus pro laicis habendi sint,  
nullumque Ordinis Clericalis privile-  
gium concedatur. IV. Nullus Laicus,  
cujuscunque dignitatis, vel sub cujus-  
cunque privilegii, vel consuetudinis  
prætextu audiendus sit, si contra eos,  
qui Sacris Ordinibus initiati sunt, etiam  
in atrocissimis criminibus iudicii acta  
in-



Saecul XVI. A. C. 1551.                       
 tesimo Octogesimo secundo ex Illustrissi-  
 ma Utissenovichiorum familia in pater-  
 na arce Namiesæ in Croatia natus: po-  
 stea vero prope Budam in S. Pauli Ere-  
 mitæ Monasterio, quod tum ad Con-  
 gregationem Montis Oliveti pertinebat,  
 habitum Monasticum induebat: Post  
 hæc die duodecima Octobris ad Cardi-  
 nalitiam dignitatem effectus unacum  
 rubro galero a summo Pontifice literas  
 accepit benevolentiae, atque amicitiae  
 signis uberrimas, nec minus omnes  
 quoque Cardinales datis literis sibi tam  
 præclari focii honorem gratulaban-  
 tur, iique cuncti ore unanimi in  
 quodam Patrum Senatu ante illius ele-  
 ctionem habito eundem amplissimis ho-  
 norabant elogiis: Porro Julius III.  
 Summus Pontifex, ut suum erga hunc  
 Præsulem affectum adhuc luculentius  
 testaretur, galerum ad illum deferri  
 iussit, ne ipse ad istum pro more re-  
 cipiendum Romam proficisci cogeretur:  
 insuper contra veterem consuetudinem  
 concessit, ut relicto Ordinis sui habitu  
 in Hungaria purpuream vestem gesta-  
 re possit. Eo tempore Martinus  
 Strigoniensem regebat Archiepiscopa-  
 tum, nec illum Varadinensem Eccle-  
 siam reliquisse legimus, præcipue ta-  
 men, dum Hungarici Regni Gubernator  
 eligebatur, auctoritate, & potentia

tia admodum crescebat, verum æmulo-  
rum invidiam sibi vehementer accerfe-  
bat, & Ferdinandus Romanorum Rex,  
cum Martinusium tanquam Virum exe-  
quendis gravioribus suis consiliis longe  
aptissimum veneraretur, hinc ejus a-  
micitiam sibi conciliare nitebatur, nec  
quicquam eorum prætermittebat, quæ  
ad consequendum illius affectum, stu-  
diumque conferre existimabat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

§. LXXXIX.

*Martinusius apud Ferdinandum Ro-  
manorum Regem calumniis op-  
pressus, ac trucidatus.*

Verum Castaldi Regii exercitus Præ-  
fecti invidia paulo post singularem  
hanc Romanorum Regis amicitiam in  
odium convertebat, eidemque exitium  
parabat: Ut igitur Castaldus perversum  
animi sui propositum eo feliciter  
exequi posset, nullum aliud magis secu-  
rum censebat medium, nisi ut Ferdi-  
nando suggereret, quod Martinusius a-  
deo non Regis studia procurare sollici-  
tus esset, ut potius omnes illum pes-  
fundandi occasiones studiose quæreret.  
Hoc consilium Castaldus exequitur,  
moxque ei Præsulem tanquam patriæ  
proditorem calumniandi prætextum  
suppeditabat benignior obtutus, quo



Saecul. XVI. A.C. 1551. Martinus Solimani Legatum exci-  
 piebat: cum enim hic pro tuenda cum  
 Turcis pace tributum, quod Hungariae  
 Regnum pendere tenebatur, exacturus  
 adveniret, Martinus suarum partium  
 esse existimabat, ut hunc Legatum non  
 modo a probatae fidei Viris excipi cura-  
 ret, sed illum quoque sumptuose habe-  
 ri, atque Vinardam ad arcem suam  
 conduci juberet: porro cum ipsi suspi-  
 ciosus Castaldi animus sat cognitus ef-  
 fet, eapropter eidem hujus Legati ad-  
 ventum significans illum Vinardam ve-  
 nire rogabat, ut communi consilio de  
 opportunis hunc Legatum remittendi  
 mediis conferre posset. Advenit Ca-  
 staldus, habitoque colloquio censuit,  
 tributum omnino esse solvendum, Le-  
 gatum vero donis auctum non sine ho-  
 norum signis esse dimittendum: atta-  
 men Castaldus specioso hoc amicitiae  
 velamine atrocissimam perfidiam suam  
 contegens ex ipsa benevolentia, qua  
 Martinus hunc Solimani Legatum  
 exceperat, eidem apud Ferdinandum  
 invidiam creandi occasionem arripuit,  
 datisque ad Regem literis eidem signi-  
 ficavit, eum ab hoc Praesule undequa-  
 que deludi, atque ab isto in ejus vitam  
 pessima cudi consilia, certumque haberi,  
 quod cum infidelibus arctissimam fove-  
 ret amicitiam, atque unice eo ex fine  
 Le

Legatus a Solimano fuerit ablegatus, ut juncta cum illo opera de opportunitate Regem perdendi mediis conferre posset, hancque ob rem Martinusius cum eodem Legato non ita pridem in patriam suam reverso multa, eaque secreta habuerit colloquia. Ad hæc Ferdinandus, cum Castaldi calumniis nimium faciles præberet aures, eo temporis articulo in Præsulis perniciem jurabat, eumque tanquam capitalem hostem suum abominabatur. Nihilominus idem Castaldus, postquam Martinusius, ut retulimus, ad purpuram evehebatur, haud postremus erat, qui obtentam eidem dignitatem gratulabatur, atque insigni usus astutia in hac occasione oretenus sat profusi gaudii signa exerebat, quæ certo tamen nullatenus in corde suo fovebat; quippe præter creberrimas, quibus hunc Cardinalem cumulabat, salutationes in castris festivos ignes in lætitiæ signum publice accendi jussit, clam tamen eidem nocere conatus est, datisque ad Ferdinandum literis hæc in Martinusium calumnias effudit: „ambitiosus hic, atque arrogans Monachus Cardinalitiam purpuram animo parum læto excepit, hujusque dignitatis exiguam prorsus rationem habere palam testatus est, verum non nisi ex dolo, fraude, ac simula-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

S<sup>pc</sup> XVI.  
A.C.1551.

„mulationibus compositus esse videtur,  
 „præcipue vero timendum, ne Soli-  
 „manus, si hunc Præsulem a Domo  
 „Austriaca beneficiis cumulari cerneret,  
 „nostram fidem suspectam habeat, ac  
 „non modo ego, sed & tu Rex, om-  
 „nesque Regii exercitus Duces a noxio,  
 „& scelerato hoc Viro perdamur. „Ac-  
 ceptis hisce literis Ferdinandus Julium  
 Salazzarium Regii stabuli Præfectum  
 mox ad Castaldum Marchionem able-  
 gavit, dato negotio, ut Cardinalem  
 nulla mora morti adjudicaret. Paulo  
 post adfuit etiam Comes ab Arco, nec-  
 non singulis ferme diebus alii advene-  
 rant, qui hæc iussa confirmabant. In-  
 super Ferdinandus Castaldo hæc signi-  
 ficabat: Tuæ prudentiæ, ac fortitudi-  
 ni tanti momenti negotium committo,  
 de cetero rebus tuis solerter invigila, ac  
 Monachum quantocius de medio tolle.  
 Marchio his iussis non sine magna ani-  
 mi sui lætitia acceptis Ferdinando hæc  
 respondit: res quidem haud levibus  
 obnoxia est difficultatibus, nihilominus  
 eas quoque superare conabor, fidem-  
 que meam obstringo, quod tamdiu Car-  
 dinalem vigili observaturus sim oculo,  
 donec mortuus ante pedes meos corrue-  
 rit. Dum interea hæc conjuratio con-  
 flabatur, Martinus Lipsam obside-  
 re cœpit, primoque impetu in urbem  
 non

non sine fuorum clade tentato, secun- Sæcul. XVI.  
 dam fecit impressionem, prospero fane A.C. 1551.  
 successu, quinimo ipfius per dejecti mu-  
 ri ruinas ingressus Urbem occupavit,  
 quæ tamen victoria novæ inter ipsum,  
 & Castaldum dissensionis fomes erat;  
 cum enim urbis Gubernator ad arcem  
 confugiens famis violentia adactus de-  
 ditionem facere compelleretur, Castal-  
 dus omnino censuit, quod hostis sese  
 victorum arbitrio relinquere cogere-  
 tur: ex adverso autem Martinusius  
 Cardinalis eundem sub honorificis pa-  
 ctis esse dimittendum affirmabat, quin-  
 imo habito belli senatu, Cardinalis sen-  
 tentia contra Castaldi opinionem præ-  
 valebat. Insuper varia adhuc exorie-  
 bantur dissidia ob præmium, quod Ge-  
 orgius victor a Rege acceperat, unde  
 Castaldus magis adhuc exacerbatus vin-  
 dictam suam exequi, atque æmulum  
 suum sibi tantopere formidandum e me-  
 dio tollere statuit, dum interea Regis  
 copiæ hiberna agerent.

Porro cum Cardinalis quædam lo-  
 ca lustrare pararet, & aliquot diebus  
 Binti in amæno suo Palatio vires suas  
 a laboribus reficeret, Castaldus, ut eo  
 vicinior esset, cum specialis amicitia  
 simulatione eidem significabat, quod  
 tam magnificentum Palatium videndi de-  
 siderio incitatus lubenter itineris co-  
 mes

Sæcul. XVI. mes esse vellet, ut sincero prorsus animo eo liberius cum illo de Regni negotiis conferre posset. A.C. 1551. Acceptabat Cardinalis consortium perfidi hujus Viri non sine animi sui lætitia, illumque solum ad suum currum ascendere jussum secum conducebat: ne vero Marchio Castaldus Cardinali perfidiæ suæ suspicionem ingereret, non nisi quinquaginta Sclopetarios equis vectos præsidii loco secum habebat: verum per aliam viam duo Hispanorum millia accedere jussit, quæsito obtentu, quod hibernas stationes, prout illas assignare Cardinali placuerit, ingressuri adessent. Denique Castaldus in Martinusii Palatio hospes esse non abhorruit, ut illius Sicarius evadere posset. Porro cum jam iter suum ambo prosequerentur, Castaldus a Ferdinando Nuntium accipit, quo rursus Monachum quoviscunque demum periculo vivis eripere jubebatur; quippe Ferdinandus non modo hujus Præsulis Thesauros, quos tanquam immensos Castaldus exaggerabat, se aucupaturum sperabat, sed insuper ab ingenti octoginta millium aureorum pensione, quam Cardinali quotannis numerandam erat pactus, sese liberari gaudebat, seque post hujus Cardinalis mortem quiete Hungariæ Regno potiturum.

*Thuan. hist.  
l. 9. ad hunc  
ann. n. 3.*

turum credebat. Verum ejusmodi con-  
 filia finister admodum successus exce-  
 pit.

## §. XC.

*Confilia de trucidando Cardinale.*

Cum Martinus, ac Castaldus Bin-  
 tium venirent, Marchio nefandi  
 sui consilii executionem maturandi ne-  
 cessitate urgebatur, eo quod Cardinalis  
 eidem significasset, quod evoluta biduo  
 Vassraesium ad comitia contendere co-  
 geretur. Hac re percepta, mox Ca-  
 staldus datis literis Sfortiæ Pallavicino  
 Comiti negotium dabat, ut omni, qua  
 posset, celeritate cum Hispanis suis co-  
 piis accederet. Hæ ubi advenerant,  
 quantocius per civitatis suburbium distri-  
 buuntur, interea vero Marchio Palla-  
 vicino Ferdinandi mandata de trucidan-  
 do Cardinale communicat, eique hæc  
 exponit: „perspecta mihi est tua fides,  
 „animique fortitudo, ego tamen ipse  
 „hujus consilii executioni præsto ero,  
 Pallavicinus arcanum adeo negotium  
 suæ fidei committi gavisus suam operam  
 etiam cum propriæ vitæ dispendio se  
 locaturum spondet, sibi que quatuor  
 socios adjungi postulat, quos Castal-  
 dus omnes natione Italos nempe Pia-  
 centinum, Moninum, Campegium E-  
 quitem, & Scaramanciam selegerat. Præ-  
 ter

Thuan. l. 6.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

ter quatuor hosce Belliduces in opem quoque accersivit Andream Lopeziurn Hispanæ cohortis Tribunum, quem rogabat, ut quatuor suæ centuriæ milites ad quævis audenda magis proclives adduceret, qui iussa ipsis danda intrepide exequi parati essent, vel si id minus placeret, viginti quatuor selectiores sclopetarios Cardinalis familiaribus minus cognitos adesse juberet, ut hi altera die maxima, qua possent, dexteritate arcem ingrederentur, & seni, ac seni quatuor turres occuparent.

Erat illa nox, quæ cædis iussa sequebatur, admodum procellosa, atque ipsemet insolitus ventorum fragor, horridique imbres funestum Cardinalis casum haud dubie portendere videbantur, aut certe hæc eadem aeris inclementia in causa fuit, ut Martinusii satellites, cum propter frigidis violentiam ad ignem clausis foribus sederent, conjuratorum molimina non animadverterent. Altera die, sereniore adspirante aura, summo mane arcis portæ aperiebantur, cumque in atrio famuli omnes curribus ad operas parandis, jungendisque equis intenti essent, Lopezius nullo prohibente suos viginti quatuor Sclopetarios, qui Turcarum more vestiti longis, largisque talaribus suis arma occultabant, introducit, illosque nemine profus

sus obnitente in quatuor arcis turribus collocat: Castaldus vero re comperta confestim unacum Pallavicino, quatuor Italis Tribunis, ac totidem Hispanis militibus eo contendit. Porro Marcus Antonius Ferrarius, qui Marchioni Castaldo ab epistolis erat, jam ab aliquo tempore tanta cum Cardinale utebatur familiaritate, ut illum ad ejus cubiculum quavis hora admittere Satellites juberentur. Ergo Ferrarius literas veluti Cardinalis chirographo signandas deferens cubile Cardinalis ingreditur, quem jamjam e lecto sublatum horarias preces recitantem invenerat.

## §. XCI.

*Martinus Cardinalis in suo cubiculo trucidatus.*

Cum Ferrarius Cardinalem proximius accederet, eique literas quasdam subscribendas traderet, mox significabat, quod Pallavicinus Marchio Vienne profecturus Cardinalem salutatum adesset, suaque offerret obsequia, si forte quædam Ferdinando Regi nuntianda haberet. His dictis Cardinalis traditas perlegit literas, arreptoque calamo, ac corpore ad mensam inclinato nomen suum apponere parat, cum ecce! Ferrarius raptum e vagina pugnæ



**Sæcul. XVI.** nem in pectus Cardinalis demittit: cum  
**A.C. 1551.** autem nonnisi fauces inter, & pectus  
 eidem vulnus intulisset, mox Cardina-  
 lis se faucium sentiens, e mensa assur-  
 git, exclamans: O Virgo Maria! cum-  
 que viribus valde robustus, validusque  
 esset, sicarium impacto pugno penes  
 mensam in terram projecit: Verum ad  
 strepitum accurrens Pallavicinus stricto  
 ense cubile ingreditur; ferrique acie  
 medium Cardinalis caput gravi vulne-  
 re dividit: nihilominus adhucdum in  
 pedes consistens Cardinalis, cum ceteros  
 hujus sceleris socios accurrere cer-  
 neret, his verbis eos alloquitur: *Quid  
 est hoc, fratres?* demum invocato Dei  
 nomine, sæpius repetitis hisce verbis:  
*Jesus Maria!* quatuor milites sclopiis  
 pectori intentis illum tundentes in ter-  
 ram proiiciunt, moxque ceteri conju-  
 rati advolant, adhucque spirantem re-  
 petitis ictibus confodiunt, ut & illi tam  
 detestandi sceleris participes essent. Hic  
 demum fuit exitus Georgii Martinusii  
 Cardinalis, qui Anno Domini millesi-  
 mo quingentesimo quinquagesimo pri-  
 mo die decima nona Decembris ætatis  
 suæ anno circiter septuagesimo tam fu-  
 nesto fato supremum diem clausit. (\*)

§. XCII.

(\*) Sleidan. in commentariis l. 23. p. 846.  
 hujus Viri obitum rejicit ad decimam octavam  
 Decembris diem.

## §. XCII.

Sæcul. XVI.

A. C. 1551.

*Mortui Cardinalis cadaver indigno modo habitum.*

Cæde peracta occisi Cardinalis corpus *Thuan. l. 9.*  
 per integros septuaginta dies in pavimento cubilis, ubi trucidatus erat, prostratum relinquebatur, quin vel ullus illud sepeliendum curaret. Evolutis hisce diebus Castaldus cadaver terræ mandari præcepit, ut vero tumultus in hac occasione fors exorturos præpediret, mox Didacum Valefium eo misit, qui defuncti corpus Martensii amicis tradidit. Hi ergo illud Wissenburgum deferri, atque in Ecclesia Cathedrali prope Joannis Huniadis Corvini Regis tumulum sepeliri fecerunt, erecto quoque monumento, quod præfati Regis sepulcro haud ab simile est. Postea omnia Cardinalis bona conscribebantur, & Ferdinandus, cum thesauros adeo amplos se reperturum speraret, ut inde totam Hungariam sibi subicere, seque Solimano valide opponere posset, spe sua egregie delusus fuit; quippe fatentibus ipsis etiam Martinusii inimicis omnia illius bona nequidem bis centum quinquaginta aureorum millia æquabant. Porro Castaldus post Cardinalis obitum confestim arcem occupabat, atque licentiam Hi-

*Hist. Eccles. Tom. XLI. M spa-*

Sæcul XVI.  
A. C. 1551.

spanorum, qui ibidem crudelem in modum furebant, cohibebat, Lopezius vero, qui Hispanos ad arcem introduxerat, defuncti arculam, in qua mille aureos invenerat, eripuit, atque hujus spoli partem militi distribuit, potiorrem autem sibi vindicavit. Pervolvebantur quoque omnia Cardinalis Scriptoria, ac literæ, & post exactissimam quoque inquisitionem ne verbulum quidem detegi poterat, quod ejus probitati, atque innocentiae vel minimam labem inurere potuisset. Denique Ferdinando in spoli prædam cessit dextera defuncti auricula, quam Castaldus Regi submiserat, postquam is ad tantam inhumanitatem degeneraverat, ut ipse etiam Cardinali aures amputaret. Cum autem hujus Viri cædes Romanorum Regis existimationi haud exiguam inferre posset maculam, hinc quanto magis divulgatis literis (\*) crudele hoc facinus a culpa vindicare festinabat, famamque defuncti Cardinalis laceffere satagebat: verum Divinum Numen  
sump-

(\*) Ejusmodi epistolam veluti a Romanorum Rege ad Synodi Tridentinae Patres scriptam recitat Nicolaus Pfallmæus Episcopus Virodunensis in Collectione Actorum, & decretorum Concilii Tridentini parte prima fol. mihi, 283.

sumpta de reis ultione palam fecerat, Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
 quod diversum esset illius judicium de  
 hujus criminis atrocitate; quippe Fer-  
 rarius secretorum Minister Alexandriæ,  
 quæ ipsius erat patria, laqueo suspen-  
 sus periit, (\*) Moninus vero in Sub-  
 alpina Regione ad S. Germani oppidum  
 capite plexus est, ac Scaramancia qua-  
 drifariam disectus obiit, nec minus Pia-  
 centinus Eques primo suscitata quadam  
 lite dexteram, qua Cardinalem ferit,  
 amisit, & paulo post inter venandum  
 in ipsius Ferdinandi conspectu cujusdam  
 apri dente discerptus periit. denique Pal-  
 lavicinus a Turcis captus diuturno car-  
 cere conficiebatur, tandem vero cate-  
 nis onustus Budam abducebatur, ubi  
 morte acerbiores insultus a Bassa, qui  
 eidem Præfulis mortem exprobrabat,  
 sustinere cogebatur: solius autem Ca-  
 staldi fatum ignoratur. (\*\*)

M 2

§. XCIII.

(\*) Thuanus l. 7. fol. 690. edit. Paris. 1604.  
 testatur, Ferrarium Alexandriæ sexto post an-  
 no securi fuisse percussum.

(\*\*) Circa hanc cædem juxta diversa scri-  
 bentium studia etiam varia sunt Auctorum ju-  
 dicia, non desunt, qui Georgii Cardinalis in-  
 nocentiam vindicant, dum alii ejus culpam  
 exaggerant: Non pauci Ferdinandum Regem  
 excusant; alii etiam illum tanquam justitiæ vin-  
 dicem

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

§. XCIII.

*Cæsar Oenipontum delatus.*

*Sleidan.  
comm. l. 23.*

Interea Carolus V. Imperator ineunte  
Mense Novembri Oenipontum vene-  
rat ibidem quorundam mensium mo-  
ram tracturus, eoquod hæc urbs Tri-  
dento

dicem commendant: in hac opinionum varie-  
tate vix non omnes Scriptores in eo conve-  
niunt, quod Georgius sibi irati Numinis ultio-  
nem accersiverit, eoquod quoddam Monaste-  
rium ad usus profanos convertere non abhor-  
ruerit: rem præter Palatium, aliosque plures his  
verbis enarrat Ciaconius: *Arcem illam, in qua ca-  
des patrata est, ipsemet Georgius everso a fun-  
damentis Monachorum cænobio construxerat,  
referunt tamen nonnulli, ejusdem Cænobii Ab-  
batem exitium Georgio sive præfagisse, sive im-  
precatum esse his verbis: id Deus non sinet in-  
ultum, imo pœnam jam jam imminentem video.  
Addunt alii, amicum virum probum dixisse:  
quorsum hæc in sacro loco munitiones, ac Geor-  
gium respondisse: Arcem non extruo, ut sacro  
loco injuriam inferam, sed ut meæ vitæ tute-  
lam parem, adjecisse amicum; caveas, loco præ-  
fidii tumultum efficias; Sacra loca si profana fi-  
ant, Deum habent ultorem.*

Circa Ferdinandum nemo est, qui illum  
nimie credulitatis postulet, dolendumque, quod  
Rex

dento admodum vicina esset, cum non nisi trium dierum itinere distaret: intendebat enim Imperator hac propinquitate uti, ut Synodi negotiis, necnon Parmensi bello, quod tamen jamjam deservescere cœperat, eo expeditius prospicere posset.

M 3

§. XCIV.

Rex adeo pius, clemens, ac justus tam turpiter a suis Ministris fuerit delusus, & mirum sane, quod Castaldus totius tragediæ Auctor, atque Architectus, licet fuerit alias bene meritus Belli, statusque Minister, publico supplicio sui criminis pœnas haud dederit, cum tamen duplici patibulo castigari promeritus fuisset, ne generis nobilitas, aut Ministerii dignitas impune delinquendi privilegium habere a rudi vulgo crederetur: id tamen omnino haud dissimulandum, quod Continuator lividus semper Augustissimæ Domus Austriacæ Momus absque ullo scrupulo Ferdinandum incuset, quod hunc Cardinalem quovis demum dispendio trucidari sæpius jussisset, cum tamen ipse Thuanus, Sleidanus, omnesque ferme Scriptores totam culpam in Castaldum reiiciant, a quo, aliisque Ministris Ferdinandus fuit delusus (Thuan. l.c. fol. 689.) qua igitur ratione Continuator adeo audacter scribere potuit, quod Ferdinandus jusserit, ut Cardinalem nulla mora morti adjudicaret, & Monachum quanto citius e medio tolleret, eumque quovis demum periculo

Sæc. XVI.  
A.C 1551.

Sæcul. XVI.

A.C 1551

Thuan. l. 8.

ad hunc ann.

Sleid. l. 23.

p. 831. &amp;

832.

§. XCIV.

*Magdeburgensis urbs Mauritio Electori subiecta.*

Insuper Cæsar Magdeburgensium diffidia vix non sopita esse cernebat, eoque conditionibus Pirnæ a Mauritio propositis jam mitigatis ducentorum mil-

*riculo vivis eriperet, si Centorium Hortensium Scriptorem in Castaldi laudibus sequivult, cur Thuanum duntaxat allegavit, cur non potius secutus est Palatium, aliosque quam plurimos, qui Castaldum ex generalibus Ferdinandi verbis Cardinalem occidendi occasionem captasse referunt; Hic enim in vita ejusdem Regis Pag. 568. n. 398. ait, quod a Castaldo de Georgii prodicione certior factus, eidem responderit: curaret Castaldus occupata propugnare fortiter: de Cardinali vero esset in arena consilium: credidit Castaldus, responsum hoc capitalem esse sententiam in Georgium. Cur ex putidis fontibus hanc calumpniam haurire non erubuit, perinde ac si Ferdinandus occisi auriculam in spoliis partem recepisset. Hanc in rem haud immerito subiicere possumus Pallavicini verba, qui in Hist. Conc. Trid. lib. 13. c. 2. n. 8. ita scribit: Quemadmodum in conjurationibus contingere solet, ut nunquam ipsarum textura credatur, cum ante exitum earum tela præciditur, ita in hominum opinione, Scripturumque*

millium aureorum summa ad quinquaginta fuisset redacta, ac ipsemet Megalopolitanus Dux, ceterique capti absque lytro dimissi, nilque amplius reliquum esset, nisi ut missio fieret præsi-  
 diariis, qui etiam postea octo mensium stipendiis rite persolutis ad sua redire jubebantur, hinc Mauritius Elector cum toto suo exercitu die decima sexta Novembris urbem ingressus, atque in Cæsaris, Imperii, suamque fidem, cum hujus belli Dux fuisset, omnes recepit. Posthæc in foro juxta prætorium habitis comitiis perpetuum fœdus, ac mu-  
 tua

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.

M 4

*rumque narratione incerta semper stetit innocentia, seu proditio Martinusii, non tamen hæc opinionum varietas dignum excusatione Suavem reddit, dum ipse tanquam certæ, communique omnium persuasioni adhæret illi, quæ Regem magis onerat velut iniquum in cæde patranda, Et Pontificem velut imbecillum in absolute indulgentia; cum ipse probe noverit id, quod Scribit Paulus Paruta Reipublicæ Venetæ Chronographus, adeoque peritissimus earum potissime verum, quæ ad Turcam spectabant, de quo Senatus ille vel maxime sollicitus id temporis erat. Hic igitur inter Italicos Scriptores egregius, non sinceritatis minus, quam prudentiæ luce, citra omnem dubitationem affirmat, agitatum ab interfecto Martinusio proditionem.*

B. 1551  
 1551



Sæcul XVI. tua societas pangebatur, salvis tamen  
A.C. 1551. urbis immunitatibus, nec non intacta  
 Religione, quam Cives profitebantur.  
 Insuper dabatur fides, non modo urbem,  
 sed & omnem circumjectam Regionem ab  
 omni injuria tutam fore. Hæc summo  
 omnium applausu fuere sancita, ac  
 Mauritius tanquam Burgravius Magde-  
 burgensis salutabatur, qui statim etiam  
 suum exercitum eduxit, atque in urbe  
 nonnisi quinque militum centurias re-  
 liquit.

## §. XCV.

*Saxonice Electoris querelæ contra  
 spurios Evangelii Præcones, eo-  
 rumque responsa.*

Postquam igitur Mauritius hac ratione  
 urbem in suam redegerat potestatem,  
 Concionatores, atque adulterinæ refor-  
 mationis Ministros convocans vehe-  
 menter de illis querebatur, eo quod e-  
 ditis contra ipsum libellis, ac picturis  
 divulgassent, quod a vera Religione  
 defecisset, bellumque ob constantem,  
 immotamque sanæ doctrinæ professio-  
 nem urbi intulisset: *justam quidem, pro-  
 sequebatur Elector, haberem offensionis  
 causam, ac merito vindicare in vos possem,  
 lubenter tamen ob Reipublicæ bonum priva-  
 tas injurias mihi illatas condono: vicissim ve-  
 ro a vobis peto, ut in posterum populos ad  
 vita*

*Thuan. 83  
 Sleid. l. c.*

*vitæ emendationem, & magistratus, ac Principum observantiam hortemini: curetis igitur, preces publice pro Cæsaris salute, pro me, ac cæteris magistratibus fieri; Concilium jam Tridenti inchoatum est, in quo piæ doctrinæ confessionem, tam meo, quam aliorum principum, & ordinum nomine, sum exhibiturus; Deum oretis, ut tam præclarum cœptum prosperet, ac bene vertat, neque illud, sicut hætenus fecistis, conviciis proscindatis, & exagitetis. Porro ad hæc concionatores objecta crimina purgaturi ita responderunt: non quidem evulgavimus picturas, non tamen eas adeo reprehensione dignas judicamus; neque enim negari potest, quin plerique per ipsius ditio- nis fines triennio abhinc a puriore religione defecerint, & si quidem ad belli auctores respiciatur, quin opprimendæ religionis causa Urbs obsessa sit, iidem dubitari non potest: quod ad nos attinet, nihil in admonendo populo prætermisimus, neque in posterum prætermitemus; cæterum de Concilio, quod Tridenti indictum est, longe aliter sentimus; illud enim delendæ veritatis ergo coactum existimamus: quippe in quo Romanus Pontifex principem locum tenet, qui se pro Christi adversario gerit; itaque non aliter orare Deum nobis licet, quam ut tam perniciosos hostium veritatis conatus, & consilia rescindat, frangat, dissipet, a quibus nihil nisi malum, & Dei*

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1551.

Sæcul. XVI. Gloriæ æque, ac reipublicæ adversum por-  
A.C. 1551. ro expectandum est.

## §. XCVI.

*Dolosa Mauritii Saxoniae Electoris  
 dissimulatio.*

Attamen temerarium hoc responsum, necnon indulgentia, qua Mauritius tanta in audacia connivebat, prudentiores facile in suspicionem adducebat, quod Elector Mauritius leges quidem specietenus aliquantum severas Magdeburgensibus imposuerit, cæterum illis clam de religione, & libertate caverit, & maluerit per hasce conditiones potius sibi, quam Cæsari Urbem patere. Id quoque jam multis, nec obscuris indiciis, quantumvis dissimulandi mirus artifex, manifestum fecerat.

## §. XCVII.

*Clandestinum Fœdus hujus Electoris  
 cum Galliarum Rege.*

*Sleid. l. 24.  
 p. 890. &  
 seq. & l. 23.  
 pag. 853.  
 Thuan. l. 8.  
 Spond. hoc  
 ann. n. 5.*

Nec vana erat eorum, qui talia præsumebant, suspicio, quippe eodem ferme momento Mauritius Elector clam cum Galliarum Rege armorum societatem inibat, ad quod negotium Rex ministerio utebatur Joannis Fraxinei Bajonensis Episcopi, qui diu in Germania commoratus patriam hujus Nationis  
 lin.

Sæcul XVI.  
A.C. 1551.

linquam calebat, eodemque tempore  
 quæsito rerum gerendarum prætextu  
 apud Saxonix Electorem agebat. Hoc  
 fœdus Elector non modo suo, sed etiam  
 Georgii Friderici, & Joannis Alberti  
 Marchionum Brandenburgicorum, ac  
 Guilielmi Hassix Principis nomine fir-  
 mabat: erantque illius articuli, qui  
 sequuntur, I. Pro Religione, pro Ger-  
 manix libertate, pro Hassix Landgra-  
 vii jam integrum quinquennium contra  
 fidem datam captivi liberatione ad bel-  
 lum Cæsari inferendum vires conjun-  
 gant, II. Cæteros quoque Imperii prin-  
 cipes, Civitates, & Ordines, utidem  
 faciant, hortentur, pro hostibus, per-  
 duellibus, & patriæ proditoribus eos  
 habituri, & ferro, ac igne persecutu-  
 ri, qui tam laudabiles conatus impe-  
 dire, aut Cæsarem quoquo modo  
 contra ipsos juvare ausi fuerint; III.  
 Nullas inducias, aut pacem cum Cæ-  
 sare faciant, incio, aut non consen-  
 siente Rege: Rex vicissim cum Cæsa-  
 re, aut ejus hæredibus, & Sociis nul-  
 lum pacis fœdus, aut inducias faciat,  
 nisi vocatis, & consentientibus fœde-  
 ratis, qui omnes unius personæ vice  
 erunt, ut nec alter sine altero pacisci,  
 aut sibi privatim consulere, ullumve  
 omnino fœdus facere possit, IV. Hac  
 societate non ipsi tantum Principes,  
 sed

Sæcul. XVI. „sed etiam ipsorum subditi, & omnes  
A.C. 1551. „penitus, qui sub ipsis militant, &  
 „porro militaturi sunt, comprehendan-  
 „tur.

Reliquis hujus fœderis articulis hæc  
 sanciebantur: I. „Donec bellum hoc ob  
 „tam justam causam susceptum omni-  
 „no confectum sit, ipsi vires, si opus  
 „sit, cum Rege jungant, ac pri-  
 „mum eos, seu vicinos, sive alios, a  
 „quibus plus periculi imminet, in po-  
 „testatem redigant: II. Recta contra  
 „ipsum Cæsarem, quocunque locorum  
 „sit, sive in Germania, sive in Belgio,  
 „uti regi visum fuerit, exercitum du-  
 „cant. III. In primi trimestris stipen-  
 „dia rex ducenta quadraginta aureo-  
 „rum millia intra vigesimam quintam  
 „Februarii proximi diem numerari cu-  
 „ret: in singulos sequentes menses sex-  
 „aginta aureorum millia dependat. IV.  
 „Fœderati octo Equitum millia conscri-  
 „bant extra territorium suum, quo Cæ-  
 „saris delectus impediant, V. Domi-  
 „militem paratum habeant, ne sit eis  
 „opus, si impetus in ipsorum fines fiat,  
 „ab exercitu discedere, & pugnandi  
 „occasionem, cum se offerret, divisim  
 „copiis omittere. VI. Si Joannes Fri-  
 „dericus, liberive ejus in fœdus con-  
 „sentiant, cavere Mauritio teneantur,  
 „hic vero omnem operam ad liberan-  
 „dum

„dum eorum Patrem pollicebitur; si no- **Sæc. XVI.**  
 „lint, pro hostibus habeantur. VII. **A.C. 1551**  
 „Guilielmus, antequam in armis sit,  
 „atque adeo ipsius parens, foederi cum  
 „Cæsare inito renuntiet, & Mauritius  
 „scripto Cæsari planum faciat, se ab  
 „ejus amicitia, & obsequio discedere.  
 „VIII. Ut obviam incommodis eatur,  
 „quæ divisa in plures potentia in exer-  
 „citu regendo accidere solent, cujus  
 „rei exemplum recens extitit in foede-  
 „ratorum exercitu ante quinquennium  
 „ob eam causam a Cæsare deleto, &  
 „dissipato, summa potentia penes Mau-  
 „ritium sit, qui tres belli Consilarios,  
 „quos velit, sibi ex omnibus deligat.  
 „IX. fœdera, tractatus, pactiones ex  
 „omnium consilio, & sententia fiant,  
 „prædæ item, & collationes inter o-  
 „mnes socios æqualiter dividantur. X.  
 „Sacramentum a milite omnibus belli  
 „Ducibus præstetur. XI. In omnibus  
 „deliberationibus Mauritius, tanquam  
 „primarius belli-dux, duas, cæteri  
 „Principes singulas quisque sententias  
 „obtineant: XII. Obsides utrinque den-  
 „tur, a foederatis quidem Christopho-  
 „rus, sive Carolus Megalopolensis, & Lu-  
 „dovicus, sive Philippus juniores Hassiæ  
 „principes; a Rege vero Joannes Marcia-  
 „nus Jametii regulus, & Philippus Le-  
 „noncurius Nantolii comes. „ Postea  
 hisce

Sæcul. XVI. hisce pactis fuit adjectum, quod videatur e re omnium esse, ut Rex quamprimum Cameracum, si possit, Diviodorum, sive Metim, Tullam, & Virodunum Lotaringiæ civitates occupet, & præsidio firmatas sub Vicarii Imperii nomine in posterum teneat, nec non bellum in Belgio excitet, quo Cæsaris vires pluribus locis oppugnati distrahat. Postremo a fœderatis promissum, se deinceps pro tanto beneficio Regem amici & parentis loco habituros, eique vicissim in conservandis provinciis sibi aut majoribus suis ereptis præsto futuros, & omni ope enixuros, ut ipse in Cæsarem eligatur.

Hæc clam die octavo Decembris fuere sancita, quæ postea Galliarum Rex Campoburgi die decima sexta Januarii præsentem Alberto Brandeburgico rata habuit.

## §. XCVIII.

*Cæsar Hassiæ Landgravium libertati reddere rogatus.*

*Thuan. l. c.  
Sleid. l. 23.  
p. 836.*

Cuncta hæc religiosa taciturnitate premebantur, cum interea Cæsar Oeniponti ageret, quo pariter Daniæ, ac Saxonix, & Brandeburgi Electorum, necnon Hassiæ Landgravii Oratores advenierant, ejusdem Landgravii libertatem sollicitaturi. Ineunte ergo Mense De-

Decembri hi Carolo Cæsari perdemisse Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
supplicem porrigunt libellum, cujus tenorem Sleidanus sat prolixè recenset. Præprimis enumerabant ea omnia, quæ captivitatis initio gesta fuerunt, simulque Mauritii Electoris, ac Brandenburgici Marchionis nomine ostendebant, quod absque injustitiæ nota haud diutius captus detineri posset, totaque hujus severitatis causa in Cæsaris Ministros reiicienda foret. Postea exponunt, quod Imperator propriæ suæ, ac Germaniæ Principum honori, atque existimationi labem inureret, quapropter illum rogabant, ut haud iniquo ferret animo, quod suis precibus hucusque frustra adhibitis, demum ad favorem, ac Principum patrocinium, cujus ipsimet hi Oratores testes existunt, recurrere voluerint, ac tandem id, quod adeo impense petierunt, impetrare studerint. Sub idem tempus legebantur literæ, quibus Ferdinandus Romanorum Rex, Bavarix Dux, necnon Luneburgenses Duces pro Landgravio Cæsarem deprecabantur, mox vero Electoris Palatini, Bipontinorum Ducum, Joannis Brandenburgici Marchionis, Henrici, & Joannis Megalopolitanorum Ducum, Marchionis Badensis, ac denique Wittembergici Ducis Oratores ad Cæsaris alloquium admittebantur.

Pa-



Sæcul. XVI  
A.C. 1551

Pariter Daniæ Rex per Legatum suum eo missum Imperatori libellum supplicem pro Landgravio offerebat.

§. XCIX.

*Cæsaris responsum ad Principum preces.*

*Steidan. l.  
23. p. 841.*

Ad hæc Cæsar interjectis aliquot diebus hunc in modum Legatis respondit: „cum hoc negotium sit arduum, „& deliberationem postulet, deque „Mauritio sit interim apud me facta „mentio, quasi gravibus aliis de causis brevi sit ad me venturus, ita quidem, ut datis ad eum literis, illum „indies expectem, ideo, quod illo „præsente rem commodissime tractari „posse putem, eoque volo differre: „ad vos vero quod attinet, consultum „censeo, ut domum, & ad vestros redeatis Principes, eisque meo nomine dicatis, me deprecationis ab eis factæ futurum esse memorem, & ita rem acturum, ut intelligere possint, ipsorum commendationem non parvum apud me pondus habuisse.

Verum Mauritius Elector Cæsarem non adiit, unde Landgravius adhuc in sua captivitate hæerere cogebatur.

§. C.

§. C.

Sæcul XVI.

A.C. 1551.

*Papa octo Cardinales creare a Cæsare rogatus.*

Sub idem tempus Cæsar Reipublicæ *Pallav. hist. Conc. Trid. l. 13 c. 1. n. 3.*  
 bono contra hostes suos prospecturus  
 impense summum Pontificem rogabat,

ut quosdam Præsules purpura decoraret, quapropter suas preces interponebat per Joannem Mauritium Legatum suum, per quem octo Prælatos ad Cardinalitios honores evehi petebat, ita tamen, ut horum quatuor Cæsar nominaret, ceterorum vero selectus, dummodo natione Hispani essent, summi Pontificis arbitrio relinqueretur, hacque via nimis magno Cardinalium Gallis addictorum numero paria Cæsareorum suffragia opponerentur. Præprimis quidem Papa Imperatoris precibus deferre recusabat, ac duntaxat pollicebatur, quod ex nominatis duos Poggium, & Pertanum, quorum ille in Hispania, alter vero in Germania Papæ Nuntii erant, sacro Collegio adscribere velit, circa Petrum vero Tagliaviam Panormitanum Archiepiscopum, quem Carolus eligi petebat, illi significabat Pontifex, quod facile, cum hic Præsul nondum nominatus eo tempore inter Archiepiscopos in Synodo adesset, in reliquis invidia excitari posset, quem-

*Hist. Eccles. Tom. XXI.*

N

ad-

Sæcul. XVI.  
A.C.1551.  
admodum in Pacei Cardinalis electione olim contigerat, quamvis hic jam jam nominatus passim crederetur, priusquam Synodum accederet. Eadem quoque ratio absterrebat Pontificem, ne Pighinum Synodi Præsidentem ad Cardinalitiam dignitatem nominaret, quamvis illum ceteroquin plurimi haberet, verebatur enim, ne Electores Archiepiscopi, qui in Synodo erant, non sine indignitate ferrent, quod ipsis Prælatu dignitate inferior præponeretur. Denique quartus summo Pontifici minus placebat; is erat Hydruntinus Archiepiscopus, eo quod is in religionis causa ad Cardinales fidei Inquisitores delatus fuisset.

## §. CI.

*Papæ consilium de creandis Cardinalibus.*

*Pallav. l. 13. cap. I.* Sub idem tempus Papa, ut Cæsaris preces, ac sollicitationes præverteret, quatuordecim Præsules omnes natione Italos purpura honorabat, ac duntaxat unum suo tempore nominandum *in petiore*, ut inquit, reservabat: porro ut majorem promotorum numerum, per quem sacrum Collegium ad quadraginta octo Purpuratos excreverat,

ex-

excusaret, bellum sibi a Galliarum Rege  
 illatum, nec non edicta ab eodem pro-  
 mulgata, ac denique Patriarcham in  
 Galliis instituendi molimina obtende-  
 bat; quippe de nova hac Ecclesiastici  
 regiminis forma rumor Genua, ac Lug-  
 duno emanabat, ubi abs dubio hoc  
 commentum cudebatur, cujus falsita-  
 tem, quamvis Papa haud ægre cog-  
 noscere potuisset, lubens tamen illius  
 opportunitate utebatur ad exequenda  
 futuræ promotionis consilia, quam in  
 rem affirmabat, quod Franciæ Regnum  
 censuris involvere cogeretur, si sparso de  
 intrudendo Patriarcha rumori veritas  
 constaret, ac proin omnino necessarium  
 esset, ut Gallorum Cardinalium factio-  
 nem, ac repugnantiam imminueret,  
 ac frangeret per electionem plurium  
 Virorum, qui exigente necessitatis casu  
 sua sedi Apostolicæ obsequia præstare  
 valerent. Alia adhuc summo Pontifi-  
 ci attribuitur ratio, quæ veritati magis  
 accedere videbatur; timebat enim, ut  
 fertur, ne Episcopi, ac Germaniæ, &  
 Hispaniæ Theologi, cum sermo de mo-  
 rum emendatione incideret, Papæ au-  
 ctoritatem imminuere molirentur: ast  
 ut res se habuit, id omnino certum  
 est, quod hæc Cardinalium creatio ha-  
 bita fuerit hoc anno Domini millesimo

Sæcul. XVI.

A. C. 1551.

Thuan. l. 8.

Sæcul. XVI. quingentesimo quinquagesimo primo  
 A.C. 1551 feria sexta die vigesima Decembris. (\*)

§. CII.

(\*) Haud toleranda est Continuatoris impudentia, qua in sui commenti testes allegare non erubuit Pallavicinum, & Thuanum, quorum tamen prior hæc ipsa mendacia a Paulo Sarpio Scriptore nequissimo procusa confutat, alter vero de hac fabula nec verbulum quidem adducit. Cur autem Sarpium suum citare non ausus est Continuator? cur Pallavicinum allegans numerum citare noluit? nonne Lectorem suum nequiter decipere intendit, qui allegatum cernens Pallavicinum ob hujus Scriptoris auctoritatem res ita narratas haud dubie veras esse credere posset nulla eidem suborta suspitione, quod hic idem Auctor oppositum comprobet, & hujus mendacii Architectum refellat. Hæccine est Historici Ecclesiastici integritas, ac fides! qua autem fronte Papam, veluti loquentem inducere potuit, cum tamen nullum horum verborum testem invenerit præter mendacem suum Sarpium? nonne ipse Continuator livido hoc Scriptore adhuc pejor est, dum alteram rationem de imminuendæ auctoritatis metu summo Pontifici ex proprio suo cerebro affingit, nullo alio allato testimonio, præter illud: *ut fertur*. Quo argumento comprobare posset, quod Papa auctoritatem suam ab Episcopis, & Germaniæ, ac Hispaniæ Theologia

§. CII.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.*Quatuordecim Cardinales a Julio  
III. Papa creati.*

**P**orro ex Cardinalibus recens electis Ciacon. in  
vit. Pontif.  
p. 768.  
primus erat Christophorus de Mon-  
te Julii Papæ Patruelis, Calliensis E-  
piscopus, & Patriarcha Alexandrinus,

N 3 ac

logis per decreta circa morum reformationem  
imminui pertimuerit, cum tamen hic ipsemet  
Pontifex nil magis cordi habuerit, quam ean-  
dem morum reformationem, ipseque se tam  
ad suæ personæ, quam Romanæ Curie emen-  
dationem obtulerit; quid sibi timere poterat  
Pontifex ab Episcopis, & Germaniæ, ac Hi-  
spaniæ Theologis, cum tamen ipsemet hæc  
Nationes præ ceteris Papæ auctoritatem ser-  
tam, atque incolumem servare totis viribus  
adlaborarint. Si Continuator eo animo, qui  
a partium studio foret alienus, acta Synodi  
pervolvisset, statim deprehendere potuisset,  
quinam fuerint illi, qui toto Concilii tempore  
acerbiores molestias summis Pontificibus, ac  
Synodi Patribus intulerint. Hæc observare  
volui, eo fine, ut hujus Historiæ, atque alio-  
rum libellorum, qui hodierno tempore passim  
divulgantur, Lectores nequaquam incautius  
fidant suspectis narrationibus, etiam si in rei  
relatæ veritatem quosdam etiam magnæ aucto-  
ritatis Scriptores tanquam testes allegari cer-  
rant.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551

ac demum Cardinalis Presbyter tit. S. Praxedis. II. Fulvius Corneus, seu de Cornia Papæ Nepos, Perusinus Episcopus, Presbyter Cardinalis primo tit. S. Mariæ in via lata, postea S. Stephani in Cœlio Monte Episcopus Portuensis. III. Joannes Michael Saracena, seu Sarrafinus patria Neapolitanus Materanus Archiepiscopus, itidem Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ in Ara Cœli, demum S. Anastasiæ, S. Agathæ, ac postremo S. Mariæ trans Tyberim, Episcopus Sabinensis. Hic idem, quamvis Neapolitanus, adeoque Cæsaris imperio obnoxius esset, Concilium tamen Bononiam transferendum esse censuit. IV. Joannes Riccius Neapoli, vel juxta Ciaconium in Montepolitano Etruriæ oppido natus Sipontinus Archiepiscopus, ac Presbyter Cardinalis tit. S. Vitalis, postea S. Angeli, ac denique S. Mariæ trans Tyberim. Erat is primus Antistes Montepolitani, demum Archiepiscopus Pisanus, & Albanensis Episcopus. V. Jacobus Puteus Niciensis Rotæ Auditor, ac postmodum Bariensis Archiepiscopus, Cardinalis Presbyter tit. S. Simeonis, postea S. Mariæ in via lata. VI. Alexander Campeggius, Bononiensis, ejusdem urbis Episcopus, Cardinalis Presbyter tit. S. Lucie, ac Vice-Legatus Avenionensis.

VII.

VII. Joannes Andreas Mercurius Mef-  
 fanæ in Sicilia natus, primo Siponti-  
 nus, dein Messanenſis Archiepiſcopus,  
 Presbyter Cardinalis tit. S. Barbaræ,  
 demum S. Cyriaci, ac tandem SS. Qui-  
 rici, & Julitæ. VIII. Petrus Berta-  
 nus, Mutinenſis ex Ordine F. F. Præ-  
 dicatorum, Fanenſis Epicoſopus, nec-  
 non apud Carolum Cæſarem in Germa-  
 nia Papæ Legatus, Presbyter Cardina-  
 lis tit. SS. Petri, & Marcellini IX. Se-  
 baſtianus Pighinus Reggienſis, Nun-  
 tius ad Synodum decretus, Alifanenſis  
 primo, dein Ferentinenſis Epicoſopus, ac  
 ultimo Sipontinus Archipræful, Presby-  
 ter Cardinalis tit. S. Calisti porro hujus no-  
 minationem Papa ſibi *in pectore* retinuit.  
 X. Fabius Mignanellus, Senenſis, Lu-  
 cerinus Epicoſopus, Cardinalis Presby-  
 ter tit. S. Sylveſtri, ac *Signaturæ juſti-  
 tiæ* præfectus. XI. Joannes Poggius,  
 Bononienſis, Tropienſis primo, ac po-  
 ſtea Anconitanus Epicoſopus, Presbyter  
 Cardinalis tit. S. Anaſtaſiæ. XII. Jo-  
 annes Baptiſta Cicada patria Genuenſis,  
 qui Albinganenſem Eccleſiam regens  
 Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis,  
 ac dein S. Agathæ, & tandem Epicoſo-  
 pus Sabinenſis renuntiatus eſt. XIII.  
 Hieronymus Dandinus Nobilis Cæſenas,  
 Caſſanenſis, poſtea Imolenſis Epicoſo-  
 pus, Presbyter Cardinalis tit. S. Matt-  
 hæi,

Sæc. XVI.  
 A.C. 1551.

LVII.  
 cit. S.  
 ſeu  
 us E.  
 orimo  
 Ste  
 Por-  
 cena,  
 s Ma-  
 Pres-  
 n Ara  
 athæ,  
 erim,  
 quam-  
 is im-  
 amea  
 enſuit  
 juxta  
 ruræ  
 copus,  
 italis,  
 Maria  
 Anti-  
 archie-  
 Epicoſo-  
 cienſis  
 Ba-  
 Pres-  
 Maria  
 npeg  
 Epicoſo-  
 S. Lu-  
 enſis  
 VII.



Sæcul. XVI. hæc, ac demum S. Marcelli. XIV. A.  
 A.C. 1551. loylius Cornelius, Venetus, Meliten-  
 sis Eques, ac magnus Cypri Prior,  
 Cardinalis Diaconus tit. S. Theodori,  
 postea Presbyter tit. S. Marci Tranensis  
 Archiepiscopus, atque Ecclesiæ Ber-  
 gomenfis Administrator.

## §. CIII.

*Andree Cornelii Cardinalis obitus.*

*Ciac. p. 705.  
 Patr. Just.  
 in hist. Venet.  
 Aubery via  
 des Card.  
 Ughel in  
 Ital. Sacra.* Ceterum Cardinalium, qui hoc anno  
 obierunt, numerus longe inferior  
 erat; quippe horum nonnisi duo recen-  
 sentur, quorum primus est Martinu-  
 sius, de cuius fato supra egimus, alter  
 vero Andreas Cornelius patria Venetus,  
 atque ex nobilissima Corneliorum fa-  
 milia ortus, necnon Francisci ejusdem  
 nominis Cardinalis Nepos. Porro An-  
 dreas tam liberalitate, quam mira in  
 rebus gerendis dexteritate percelebris,  
 primo Camerae Apostolicæ Clericus,  
 postea vigesimo tertio ætatis suæ anno  
 Brixienfis renuntiabatur Episcopus,  
 tandem vero die decima nona Decem-  
 bris Anno reparatæ Salutis millesimo  
 quingentesimo quadragesimo quarto  
 Cardinalis Diaconus, titulo S. Theo-  
 dori a Paulo III. Papa nominatus fuit,  
 quem tamen titulum Julius III. commu-  
 tavit, atque illi titulum S. Mariæ in  
 Dominica attribuit, nec non eundem  
 Spa-

Spalatenſi Eccleſiæ Antiftitem præſe-  
 cit, ſimulque in Patrimonii D. Petri  
 Provincia Legationis munere decora-  
 vit. Obit Cardinalis in flore juventu-  
 tis ſuæ die trigeſima Januarii, corpus-  
 que ejus primo apud PP. Auguſtinia-  
 nos depositum, poſtea Venetias trans-  
 latum ad Eccleſiam S. Georgii in Majo-  
 rum ſuorum monumento prope Patrum  
 ſuum fuit reconditum.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.

§. CIV.

*Joannis Haſſelii Lovaniensis Doct̄oris*

*mors.*

Eodem Anno Joannes Leonardus Haſ-  
 ſelius Sacrarum Literarum Doct̄or,  
 ac Profeſſor in Lovaniensi Univerſitate,  
 cum Tridentinæ Synodo intereſſet, na-  
 turæ debitum ſolvit, eique in Profeſ-  
 ſoris munere ſucceſſerat infamis Michael  
 Bajus. Porro Haſſelio adſcribuntur  
 Commentarii in Iſaiam, & D. Paulum,  
 qui typis excuſi prodierunt ſub nomine  
 Adami Sasbouth ex Ordine Fratrum  
 Minorum; hic enim patria Delphienſis  
 ſtudiis vacaturus Lovanium contendit,  
 ibidemque Haſſelii Magiſterio uſus fue-  
 rat. Ceterum Haſſelius adſcripto pro-  
 prio nomine ſuo nonniſi diſſertationem  
 edidit *de Neſtarii Patriarchæ Conſtantino-  
 politani fact̄o ſuper confeſſione*; cum enim

*Miræus de  
 Script Eccl.  
 Dupin. Bibl.  
 des Aut.  
 Eccl. tom.  
 16. p. 2.*

N 5

hic

Sæc. XVI. hic Patriarcha Pœnitentiarii munus in  
A.C. 1551. sua Ecclesia exerceri prohiberet, inde  
 Protestantes ab eodem pariter Confessionem, ut vocant, auricularem fuisse abolitam, perperam inferebant: Hæfelius igitur in hoc suo libro demonstratum ibat, nequaquam Confessionem fuisse abrogatam, sed duntaxat usum eo tempore introductum, vi cuius non nisi unicus Sacerdos omnium Confessionibus excipiendis erat præpositus. Hic idem liber Synodo exhibitus, a Patribus fuit approbatus, continetque Dialogum inter duos Historicos Socratem, & Sozomenum, cui etiam Auctor præfationem adjecit, in qua totum Nectarii factum recensetur.

## §. CV.

*Martinus Bucerus Protestantium  
 Præco mortuus.*

*Sleid. l. 22.*

*p. 809.*

*Melch. Adam  
 in vita Theol.  
 German.*

*Thuan. l. 8.*

*pag. 262.*

*Bessuet. hist.*

*Var. l. 3.*

*art. 3.*

*Burnet. hist.*

*de la ref. tom.*

*2. l. 1. p. 247.*

**A**dulterina etiam reformatio hoc eodem anno Christi millesimo quingentesimo primo amisit Martinum Bucorum Argentinensium Protestantium Præconem. Erat is Anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo nonagesimo primo Schlettstadii natus, Vir fatis eruditus, ac indole doctus, magis tamen, quam Scholasticorum quiscunque alius in distinctionibus inve-

inveniendis foecundus. Excipiebantur Sæcul XVI.  
A C 1551.  
ejusdem sermones avidis auribus; quamvis enim stylo non nihil rudi uteretur, sua tamen corporis habitudine, vocisque sono eloquentiæ vitium emendabat. Hic idem Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexto institutum S. Dominici professus apud suos ob ingenii aciem profunda eruditione excultam magni habebatur, cum vero plura Lutheri opera incautius perolveret, ejusdem veneno seductus habitum, fidemque abjecit. Demum Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo Heidelbergæ sæpius cum Luthero conferebat, ejusque doctrinam palam tradebat: verum Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo trigesimo relicta Lutheri hæresi Zwinglii erroribus nomen dabat.

Postea Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo octavo Augustam decernebatur, ut & ipse subscriberet concordiæ libro, qui vulgo *Interim* appellabatur. Equidem primo sua approbatione, ac consensu accedere contra plurimorum vota reluctabatur, quinimo solitis suis exercitiis vacaturus Argentinam redibat: at nec ibidem longo tempore substitit; postquam enim Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus regnante Eduardo IV.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

IV. plurimum auctoritate, ac potentia valere cœperat, totisque viribus Protestantium sectam in Regnum invadere nitebatur, Bucerum rogari fecit, ut in Angliam contenderet, huicque labori operam suam locaret unacum Petro Martyre, & Bernardino Ochino, qui itidem pro inchoanda spuria reformatione accersebantur. Itaque Bucerus in Angliam veniens, securum inter novos Protestantes, qui sub Eduardo jamjam suo numero invalescebant, asylum reperit, die tamen vigesima septima (\*) Februarii anno ætatis suæ sexagesimo primo animam evomit, perhonorifice sepultus. In ejus quoque laudem Doctorum nonnulli Epitaphiis defuncto parentabant, ejusque corpus usque ad Majorem Ecclesiam plusquam duo hominum millia comitabantur, illiusque exequiis intererant: nihilominus quarto, aut quinto post anno regnante Maria hujus hæretici corpus rursus exhumatum, & combustum fuit: postquam vero Elisabetha Regina Calvinistarum errores in Anglia resuscitare cœperat, illius quoque tumulum denuo erigi, ejusque memoriam pristinis honoribus restitui curavit.

Ali-

---

(\*) Burnetus l. c. hujus hæretici obitum revocat ad diem vigesimam octavam Januarii.

Aliquot ante suum obitum diebus <sup>Sæcul. XVI.</sup> miserum Germaniæ statum deplorans, <sup>A.C. 1551.</sup> hæc in verba prorupit: „timeo, ne  
 „forte neglecta disciplina circa castiga-  
 „tionem impiorum, ac Verbi divini  
 „Ministerium, in irritum cadat lauda-  
 „bile desiderium tot proborum homi-  
 „num, qui Ecclesiæ emendationem  
 „tanto ardore peroptant: quapropter  
 „vehementer peto, ut ea, quæ Eduar-  
 „dus Rex pro restauranda Ecclesiæ dis-  
 „ciplina statuit, solide etiam stabilian-  
 „tur, & per universam Angliam reli-  
 „giose observentur,„. Ceterum Buce-  
 rus quam plurima diversi generis com-  
 posuit opuscula, & forte inter Prote-  
 stantes præcipuus est, qui calamum su-  
 um magis exercebat, atque in rebus  
 reformationem concernentibus plus ce-  
 teris laborabat. Magis insuper quam  
 Calvinus Episcopalem Ordinem venera-  
 batur, multumque Anglos commenda-  
 bat, eoquod ringentibus etiam suorum  
 confratrum quamplurimis, semper ta-  
 men Episcopalem gradum illibatum te-  
 nuissent. Nec ratione vero sat simili  
 caret, quod Bucerus semper piarum  
 actionum merita admiserit: præterea is  
 Calvinò acrius objectabat, quod de re-  
 bus duntaxat juxta amoris, vel odii  
 sui vehementiam dijudicet, simulque  
 nonnisi juxta suæ Phantasiæ impetum,  
 vel

*Protest. in  
 Bucer. Flor.  
 Rem. de  
 orig. hæres.  
 l. 2. c. 11.  
 Sander. hæ-  
 res. 215.*

Sæcul. XVI  
A. C. 1551.

vel amore, vel odio homines profequatur. Ceterum referunt Scriptorum nonnulli, quod Buccerus Judaicæ superstitioni adhærens mortem oppetiisset.

§. CVI.

*Calvini dolor ob Bucceri, aliorumque amicorum suorum mortem.*

Quamvis Calvinus in quibusdam religionis articulis a Buccero diffentiret, ægerrime tamen illius obitum ferebat, nec minus dolebat, ac mortem Joachimi Vadiani, qui Sancti Galli Consul, ac amplissimæ eruditionis Vir arcta Calvino amicitia junctus erat. Nihilominus acerbiori adhuc dolore Calvini animum torquebat suorum hostium factio, quæ exeunte hoc anno in apertas erumpebat flammæ; cum enim Calvinus a quadam urbe trans Rhodanum sita, ubi sermonem ad populum habuit, domum reverteretur, nonnulli ipsum ludibriis, ac cachinnis excipiebant, ejusque socius Raymunus in flumen præceps ruebat, eo quod noctu pons, quem transire cogebantur, ab eorum adversariis clam fuisset ablatum.

§. CVII.

*Tumultus in Calvinum Genevæ suscitati.*

Pa-

Pariter quædam veluti seditio contra Calvinum in templo S. Gervasii concitabatur; quidam enim Minister cuidam infanti Balthasaris nomen, quod ejusdem Patrini ei imponi petebant, attribuere, ac propterea Baptismum conferre renuebat, causatus, id ob quasdam rationes legibus esse prohibitum. Insuper præter hæc adversitates, quæ Calvinum undique obreuebant, gravem experiri cogebatur vexationem, quam in eum excitabat Hieronymus Bolsecus, qui olim Carmelita Parisiis in Ecclesia S. Bartholomæi plures errores divulgabat, depositoque cucullo trans alpes aufugiebat ad Renatam de Francia Ferrariæ Ducisfam, quæ commune erat asylum pro omnibus, qui ob novas sectas merito vexabantur.

§. CVIII.

*Diffidia Calvinum inter & Hieronymum Bolsecum.*

Hic idem Bolsecus Ferrariæ agens ar-  
 ti medicæ operam dabat, moxque  
 ducta uxore hanc urbem, qua vero ex  
 ratione ignoratur, reliquit, ac Gene-  
 vam contendit, ibi eandem, cujus ta-  
 men haud admodum gnarus fuisse  
 videtur, artem professurus; Beza  
 enim refert, quod intra trium dierum  
 spa-

Sæcul. XVI  
 A.C. 1551.

Beza in vita  
 Calvini ad  
 hunc ann. &  
 in apol. alt.  
 ad Claud. de  
 Xaintes  
 oper. tom. 2.  
 p. 345.



Sæcul. XVI. spatium Medicus evaserit ; quapropter  
A. C. 1551. a ceteris Medicis omnino vilipensus  
 Theologum agere constituit, ac pernicio-  
 siosa dogmata circa Prædestinationis,  
 & gratiæ mysterium clam disseminare  
 cœpit, tandem vero eo temeritatis pro-  
 lapsus est, ut publice etiam contra opi-  
 niones Genevæ receptas declamare au-  
 deret. Referunt nonnulli, quod hic  
 idem Bolseci sermo nil nisi confutatio  
 fuerit illius orationis, quam nuperrime  
 die decima sexta Octobris Anno Salva-  
 toris nostri millesimo quingentesimo  
 quinquagesimo primo circa Spiritus S.  
 gratiam auscultabat. Hanc in rem Pro-  
 testantes eidem objectabant, quod Pe-  
 lagii errores traderet, quamvis eorum  
 nonnulli censerent, quod circa hæc my-  
 steria Catholicorum doctrinam propug-  
 nasset : porro cum a Calvini doctrina  
 longe alienus esset, hinc idem re com-  
 perta mox Bolsecum invisit, eumque  
 primo sat modeste redarguebat, & po-  
 stea illum ad se venire jussum ad mutan-  
 das animi sententias inducere nitaba-  
 tur. Verum Bolsecus hisce monitis pa-  
 rum commotus circa prædestinationem  
 contra adversarii sui opiniones decla-  
 mare, suamque doctrinam constanter  
 spargere haud destitit, unde Calvinus,  
 cum quodam die illius sermonem aus-  
 cultaturus secreto delitesceret, oratio-  
 ne

ne ad finem vergente derepente profiliit, Sæcul. XVI.  
A C. 1551.  
atque ex Sacræ Scripturæ, ac D. Augustini testimoniis, quæ tamen ipse  
perperam ad suos errores detorquebat, novum hunc Præconem refellere aggressus est.

## §. CIX.

*Bolsecus ex Genevensis Reipublicæ  
ditionibus pulsus.*

Nec his Calvinus erat contentus, sed insuper ex Magistratu quemdam, qui huic Concioni intererat, eo adigebat, ut Bolsecum carceri mandari juberet. Verum utriusque causa maturius discussa datis etiam ad Helveticas Ecclesias literis earum sententiæ rogabantur, illis vero mentem suam hac super re pandentibus, Bolsecus tanquam seditionis, ac Pelagianæ Sectæ reus, & convictus a Genevensi Senatu declarabatur, atque ob hæc crimina e Reipublicæ ditionibus exulare jubebatur, indicta quoque publicæ fustigationis pœna, si eo reverti præsumeret. Lata est hæc sententia die vigesima tertia Decembris Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo: Itaque Bolsecus ad vicinum quemdam locum Bernensis Pagi imperio obnoxium secedere compellebatur, cum vero ibidem palam enuntiaret, quod Calvinus

*Hist. Eccles. Tom. XLI. O Deum*

Sæc. XVI. Deum peccati auctorem ediceret, in  
A.C. 1552. quo sane nullam Calvino calumniam  
 impegemat, hinc idem hæresiarcha  
 quosdam ad Bernenses ablegabat, ut  
 iis præsentibus causam suam agere  
 permetteretur; verebatur enim Calvi-  
 nus, ne ejusmodi accusatio a suo ad-  
 versario detecta, Bernenses a pristino  
 in eum affectu avocaret. Verum hi cir-  
 ca ejus doctrinam judicium ferre, aut  
 declarare, an vera esset, vel falsa, re-  
 nuebant, in hoc solo Calvini precibus  
 deferentes, quod Bolsecum ex Pagi  
 sui finibus excedere juberent. Hinc  
 etiam mandato morem gerens Bolsecus  
 in Franciam rediit.

## §. CX.

*Catalogus librorum hæreticorum a  
 Facultate Theologica damnatorum.*

*Argentre*  
*Collect. jud.*  
*tom. 2. p. 164.* Interea Facultas Theologica conventu  
 habito librorum prohibitorum Cata-  
 logum, de quo alibi mentionem feci-  
 mus, die sexta Octobris hoc anno ap-  
 probabat. Horum librorum discussio  
 septem omnino annos tenuit, tandem-  
 que censuræ initium dabatur a quadam  
 præfatione, in qua libros perversos ab  
 utilibus segregandi necessitas exponen-  
 batur, ut exinde fideles dignoscere va-  
 lerent, quæ tuto perlegere, quæve de-  
 clinare

clinare debeant: ut vero adhuc magis hujus discussionis necessitas comprobaretur, Facultas SS. Cypriani, Hilarii, Chrysofomi, Ambrosii, aliorumque testimonia adduxit, nec etiam S. Hieronymum silentio prætereundum censuit, cum hic de scriptoribus Ecclesiasticis librum edidisset, in quo hæreticos unacum Catholicis recensebat, quod idem etiam præstitit S. Augustinus in suo libro, quem adversus suæ ætatis hæreses composuit, & ante eum Sanctus Epiphanius idem præstitit.

Postea in præfatione ista subjunguntur: *Hoc autem remedium eo magis est necessarium, quo studiosius hætenus negotio fidei promovendo, hæresumque extirpationi Rex noster Franciscus I. re, & cognomento Christianissimus minime defuit: hinc nos quoque vocationis nostræ non immemores, in tanto fidei negotio, & discrimine, tantisque infelicis hujus sæculi tumultibus, haud quaquam cessatores egimus: dici enim non potest facile, quantis sudoribus adversus hæc dogmata invigilaverimus, dum nunc ab Episcopis, nunc a Senatu, nunc a Provinciarum præsidibus super hæreticis propositionibus, & libris rogati, ut de ea, quæ in nobis est, fide rationem redderemus, totos pœne dies eam in rem, noctesque impendimus.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

Porro hæreticorum sunt nonnulli, qui manifeste, & palam sua dogmata obrudere non verentur. Sunt & alii, qui supplicii metu oblique, & secreto ea auditoribus suis ingerunt, qua ex re fit, ut perverforum librorum diversa genera circumferantur, quibus corda fidelium seducuntur. Sunt autem ex illis libris quamplurimi, qui authorum suorum nomina fronte præferunt eorum scilicet hæreticorum, qui jam deplorati, de sua gloriantur insania. Sunt, qui suppresso nomine, vanissimis titulis adornantur. Sunt & qui neque præli, neque officinæ excussoriæ, sed neque vici, aut Civitatis nomina exprimant, a quorum lectione summopere cavendum est piis hominibus. Sunt & alii, qui veris authorum nominibus suppressis, ut facilius lectores ad seditionem illiciant, Catholicorum, Sanctorumque virorum nomina pro titulis habent.

Quam ob rem quis Orthodoxus, & veritatis, lucisque Christianæ amator, non perspectum habeat, horum librorum farraginem, & ingentem congeriem non aliamquam a principe tenebrarum profectam esse, qui lucis, & veritatis inimicus, non nisi tenebras amet. Verum quia difficile est ab modum simplicibus viris, & non satis in Scriptura exercitatis, adulterinos libros, & pestiferos a salubribus dignoscere, ob idque sæpius obrudantur impii pro Orthodoxis, multorum precibus, & quotidianis

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

efflagitationibus obsequentes, æquum ducimus, & veris Christianis (quibus neque fas est, neque tutum, horum lætioni incumbere) apprime conducibile, libros omnes, qui in manus nostras devenerunt (sunt autem permulti, qui latent adhuc, sunt, qui quotidie in lucem recenter prodeunt, quos, cum in manus nostras venerint, in alterum Catalogum redigendos curabimus) suis nominibus designare, ut compertum habeant, & intelligant, sive Ecclesiarum Præsfecti, & Præsules, sive Magnates, & Principes, sive Senatores, & provinciarum Præsides, a quorum lætione librorum subditam sibi plebem arcere debeant. Sunt autem ex eorum numero quidam plane hæretici, flammisque digni. Sunt & qui suspitione hæreseos vehementer laborant. Sunt, qui offendiculum, & scandalum præbeant. Sunt, qui blasphemias suboleant. Sunt &, quos non expediat reipublicæ Christianæ in lucem, & vulgus emitti. Sunt & alii permulti, quos ad plenum discussos, execrandis scaterere erroribus deprehendimus, atque tandem una (pro more) congregati, coeuntibus omnium in unam sententiam judiciis, in Catalogum redeimus.

Porro in hoc Catalogo, non modo latini, sed & Gallici libri sedulo designantur, atque inter primos recensentur ii libri, qui postea juxta Ordinem Alphabeticum juxta Auctorum cognomi-

Sæcul. XVI

A. C. 1551.

na indicantur, quos inter ipsa etiam Erasmi opera enumerantur. Postea describuntur libri, quorum Auctores sunt incerti: nec minus libri Gallici, quorum Scriptores cogniti erant, servato Ordine Alphabetico recensentur: demum vero Auctores incogniti referuntur.

## §. CXI.

*Jesuitarum conatus pro Societate in Gallis stabilienda.*

*Bouhours  
vie de S.  
Ignace l. 4.  
pag. 331.  
Orland. l. 10  
n. 107. &  
108.*

Hucusque S. Ignatii Societas semper magna, quibus sese in Francia stabilire præpediebatur, experta est obstaculo: cum vero inter Socios nullus Parisiis esset, qui illius Palatii in Cytharæ platea siti, quod eis Guilielmus de Præto Claromontanus Episcopus dono dederat, eosque ibidem exceperat, professionem adire, ac supremi Præpositi nomine annuos redditus ab eodem Præsule ad eorum sustentationem assignatos acceptare posset, hinc sanctus Ignatius hunc obicem submoturus Joanni Baptistæ Violæ, qui ad Collegium Longobardorum cum suis sociis antea ibidem agentibus habitatum venerat, per literas injunxit, ut in Episcopi Claromontani manibus solemnia vota nuncuparet, spe concepta, quod hoc pacto Socii regias literas, quibus in Regnum

Sæcul. XVI  
A.C. 1551.

num recipere, eo facilius impetra-  
re possent. Igitur Episcopus excipien-  
dæ Professionis negotium Abbati S. Ge-  
novæ committit, sanctusque Igna-  
tius Lotharingii Cardinalis, quem jam  
olim Romæ noverat, patrocinium im-  
pense implorat, ut Regis etiam con-  
sensum obtinere posset. Valuit succes-  
sus; quippe Cardinalis juncta cum ami-  
cis suis opera Societati obsequium præ-  
stare certabat, atque una omnes deni-  
que obtinere literas, quæ ad Societa-  
tem in Regnum recipiendam erant ne-  
cessariæ.

Verum Senatus hæc literas ad acta  
referre renuebat, ac per integros duos  
annos immotus in hac sua oppositione  
persistebat, insuperhabito etiam itera-  
to mandato, quo Regis literas publi-  
cis tabulis inferere jubebatur; nam Se-  
natus eas, quæ sequuntur, causas ob-  
tendebat: I. jam satis copiosus in Galliis  
est religiosorum numerus, II. aliunde  
Jesuitæ ab Ordinariorum jurisdictione,  
& decimarum solutione eximi pe-  
tunt, III. de cetero, si in Moream con-  
tendere quærent, haud necessarium ip-  
sis est publicum Regis diploma: IV.  
priusquam hac in re ulterius procedi-  
tur, necessitas suadet, ut Bullæ, quas  
a summis Pontificibus obtinuerunt, Pa-  
risiensi Episcopo, ac Universitati exhi-  
bean-

KLVII.  
etiam  
Postea  
actores  
Gallici,  
t, ser-  
sentur.  
ti refe-  
  
tate in  
  
Semper  
cia sta-  
t obsta-  
s Pari-  
ythara  
de Pra-  
no de-  
, pol-  
positi  
n Pra-  
ffigna-  
s lgnat-  
Joanni  
n Lon-  
a ibi-  
t, per  
Claro-  
uncu-  
pacto  
Reg-  
num





Sæcul. XVI. A. C. 1551. beantur, eorumque sententia desuper excipiatur. (\*) Eo tempore Episcopus Parisiensi Ecclesiæ præerat Eustachius Bellajus, qui Jesuitis minus favebat, atque ipsamet etiam Universitas haud magis benigno eos obtutu dignabatur, quinimo contra illos edictum quoque promulgabat, quo vix publici juris facto tota urbs in hosce Patres insurgibat. Hujus edicti exemplar Paschasius Bröettus unus ex decem primis D. Ignatii sociis recepit, illudque protinus Romam transmissit. Verum hæc tempestas parum turbabat Societatis Præpositum, qui hæcce turbas brevi sedatum iri sperabat.

## §. CXII.

*Catechumenorum domus in India Astore B. Ignatio exstructæ.*

Orland l. c. n. 119. & 120. Insuper felix Nuntius ex Indiis hoc anno receptus longe majori solatio, quam Gallica res D. Ignatii animum replebat.

(\*) De hisce obtentibus Orlandinus, quem Continuator allegat, altum tenet silentium, itaque ad illos excogitandos Continuatores nil aliud impulisse, conici potest, nisi ut conficto documento comprobet, quod jam sæculi XVI. contra Religiosorum domicilia ejusmodi obtentus fuerint propositi.

bat; quippe P. Franciscus Xaverius ei-  
dem significabat, quod in Indiis annun-  
tiati Evangelii semen inter populos  
quantumvis barbaros amplissimam messis  
ubertatem proferat. Verum Ignatius  
de tam subitis conversionibus prudens  
sane iudicium ferebat, ac per literas  
edocebatur, quod infideles ad Christi  
fidem pertracti haud satis longo experi-  
mento probarentur, sed nimium præ-  
propere ad sacrum Baptismi fontem  
admitterentur, indeque fieret, ut etiam  
facile ad Idolorum superstitionem redi-  
rent, (\*) hinc Ignatius huic malo ob-  
viaturus auctor fuit, ut in Indiis Cate-  
chumenorum domicilia erigerentur, in  
quibus Idololatræ, qui Christi fidem  
amplecti desiderarent, non nisi post diu-  
turnam deliberationem, atque exactam  
Christianorum sacrorum cognitionem ad

O 5 fa-

(\*) Quam non minus dextre, quam falso  
Continuator hanc culpam coniiciat in Viros  
Apostolicos, perspicui potest ex iis Orlandini  
ab eo citati verbis: hic rem ita narrat: *Com-  
plures ex Ethnicis ad Ecclesiam rediere. . . .  
Quorum cum multi vel ab ipsis militibus nulla  
instructi catechesi consignarentur, interdumque non  
satis consentaneis decorisque rationibus adducti,  
idque multorum fons esset malorum, auctor fuit  
B. Ignatius &c.*

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1551.** sacrum fontem admitterentur : igitur prima ejusmodi domus Goæ erigitur, eidemque Rector Antonius Gomez, seu Gomius præficitur. Postea Ignatius ad piam Clericorum institutionem seminaria in Diœcesibus erigi curabat, prout etiam ipsa adhuc D. Ignatii ætate Augustanus, ac Salisburgensis Episcopi in suis Urbibus ejusmodi domos construi jusserunt : præcipue vero id ipsum a Tridentina Synodo urgebatur.

## §. CXIII.

*Franciscus Xaverius Meacum, & inde Amangucium delatus.*

*Turfel. vit.* **I**nterea Franciscus Xaverius remittente hyemis vi Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Meacum venit, postquam maximos subiisset labores non modo ob frigoris, quod ibidem vel tum maxime ingruit, asperitatem, sed etiam propter ipsa itineris pericula : ut autem expeditum inter Barbaros iter haberet, Equiti indigenæ Meacum petenti sese famulum adjunxit, atque equitantis sarcinolam præter sua Missæ ornamenta ad celebrandum necessaria, cursitans gestabat humeris, pedibusque ibat potissimum nudis, eoquod rivi, amnesque vado transeundi se passim offerrent.

Ve-

*S. Xav. l. 4. c. 6. & 7.*  
*Bouhours vie de S. Xav. l. 5. p. 172.*  
*Orland. l. II. 113.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

Verum in hac regione gentem reperi-  
bat ad excipienda Christianorum sacra  
minus docilem; Japones enim, ut elato  
sunt animo, peregrinum hunc verbi  
Divini præconem, & suimet ipsius contem-  
ptorem mox abhorrebant, eumque  
velut stolidum, ac fanaticum exagita-  
bant. Ast ille læto prorsus animo cun-  
ctos eorum insultus perferebat, gaudens,  
quod dignus habitus esset, pro nomine  
Jesu Christi contumelias pati: cum vero  
horum infidelium superstitionibus obcæ-  
catorum, atque suis in sceleribus obdu-  
ratorum ludibrio haud ultra Christi fi-  
dem exponere vellet, Meacum reliquit,  
haud alium ex tanta segete manipulum  
reportans, quam quod multa perpessus  
fuerit propter Evangelium, factus om-  
nium peripsema: frustra enim hujus  
Provinciæ Regem alloqui nitebatur, fa-  
telitibus omnes omnino ad illum aditus  
obstruentibus, quinimo non solum ubi-  
que cachinis excipiebatur, sed etiam  
petebatur lapidibus. Ergo Amangu-  
cium remigat, cum autem prima vice  
hanc Regionem pertransiens præ ceteris  
Regem salutare, eique Dona offerre  
neglexisset, hinc ejusmodi urbanitatis  
defectum reparaturus deposita veste ob-  
soleta, alia nova, auroque splendida ve-  
stimenta induit, duobus, tribusve famu-  
lis eum comitantibus. Parabat insuper  
sua

Sæcul. XVI.  
A. C. 1551.

fua munera Regi offerenda, quæ erant horologium fonans, necnon Monochordum præter alia, quæ a Malacensi Gubernatore, atque Indiarum Pro-Rege dono acceperat, ac jamjam Meacensi Regi destinaverat. Itaque splendido hoc ornatu insignis Regem, cui nomen Oxidono, adit, eidemque Indi Pro-Regis, necnon Goani Episcopi literas tanquam utriusque in eum benevolentiaæ testes tradit.

§. CXIV.

*Evangelii annuntiandi facultas Xaverio ab Amangucii Rege data.*

*Turvel. l. 4.  
c. 7.*

**R**ex igitur acceptis hisce literis, magisque oblatis Lusitanorum donis mire lætus, tantam liberalitatem compensaturus Xaverio magnum argenti, aurique pondus elargitur: verum ille haud immemor se Sacerdotem, non autem Mercatorem esse, remissis, quæ offeriebantur, muneribus duntaxat Regem enixe precabatur, ut ipsi divinæ legis in sua ditione promulgandæ potestatem regio edicto faceret; hoc enim dono optatius nec sibi, nec Lusitanis dari posse asseribat: Itaque Rex animum a proprio quæstu tantopere alienum admiratus Xaverio, quicquid petierat, lubens concessit, atque extemplo per omnes urbis vias præconum voce pronuntiari iussit, quod

quod omnibus suis subditis Christianam Religionem amplecti permetteret, severe autem prohiberet, ne quisquam Lusitanos Sacerdotes ad prædicandam Christi legem destinatos quovis pacto læderet. Insuper Xaverio Cœnobium quoddam hucusque a Ponziis derelictum ad habitandum attribuit. Ea res & nomen Francisco, & Religioni magnam conciliabat existimationem, ringentibus licet Bonziis, qui e nobilitate plures ad Christi fidem conversos indignati nullum non movebant lapidem, ut Xaverium in Apostolicis suis laboribus turbarent. Nihilominus ipse bis in die concionem ad populum habebat, magna semper civium frequentia, quamvis suo loquendi modo non raro audientibus risui esset, eoquod Japonicæ linguæ inscitia laboraret.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

§. CXV.

*Plurimi in hac Regione a Xaverio ad Christi cultum permoti.*

Primis duobus Apostolicæ prædicationis Mensibus Xaverius quingentos cives sacro fonte abluebat, qui unanimes infauftam Majorum suorum sortem, æternæque infelicitatis damna deplorantes, lacrimis ubertim profusis a Xaverio sciscitabantur, ecqua spes, ecqua via foret æternam a Majoribus suis

*Tur. sel. l. c. 8.*

Sæc. XVI. A.C. 1551. suis miseriam depellendi? Quibus Xa-  
 verius id fieri haud posse respondens,  
 eis persuadere nitebatur, ut propterea  
 impensius ipsi, quibus divinitus oblata  
 fidei lux, salutisque via esset, Deogra-  
 tes rependerent. Denique elusis omni-  
 bus Bonziorum artibus, eorumque au-  
 ctoritate plurimum imminuta, jamjam  
 Japonum ad fidem converforum plus-  
 quam tria millia recensebantur, qui  
 unaomnes a Xaverio necdum Amangu-  
 cii per integrum annum agente Chri-  
 stianorum coetui per sacrum fontem in-  
 ferti fuere, eoque Magistro, ac Ducto-  
 re hi Neophyti tam uberes quoque in  
 legis Divinae cognitione progressus fe-  
 cerunt, ut Xaverio inde abeunte ipse  
 met per plusquam viginti quinque an-  
 nos in fide constantes permanerent, et  
 non solum veritatis Magistro, ac Direc-  
 ctore destituti, sed etiam a perveris  
 Principibus crudeliter vexati  
 fuissent.

